A *Venditione, Servitute.*

Cùm ob Iphiclum de turri præcipitatum injuſtè, Hercules in amentiam incidiſſet, Pylum ad Neleum profectus eſt, ut mundaretur à cæde. Hic cum filios conſuluiſſet, omnes, præter Neſtorem juniorem, minimè purgandum eſſe cenſuerunt. Ergo Deiphobum Hippolyti filium adiit. Sed cum nequaquam ſanari poſſet, deque morbi cura Apollinem conſuleret, reſponſum eſt, facilem curam fore, ſi juſto venderetur pretio, idque Iphicli liberis daretur. Ergo in Aſiam navigans, à quodam ex amicis venundatus, ſervus Omphalæ virginis factus eſt, filiæ Jardanes, eorum reginæ, qui aliquando Mæonii, B nunc Lydii dicuntur. Pretium Iphicli filiis cùm datum eſſet, priſtina valetudine recuperata, Omphalæ ſerviens, omnes ejus regionis latrones ſuſtulit. Cognita Herculis virtute, Omphale liberum ei fecit aditum, & ex eo genuit filium Lamonem. Suſceperat verò & antea ſervus ex ſerva Cleolaum. Sunt qui Medeam, cùm Thebis Herculem in inſaniam verſum, ab eoque filios occiſos reperiſſet, medicamentis illum ab eo morbo liberaſſe tradant. *Diodorus lib.4. c.2. & 3. Sabell. lib.7. Ennead.* 1. Idem ipſe quum vel Amphitryonem ex inſania interfecturus videretur, lapide à Minerva impacto eſt conſo- C pitus, ac lapis, σωφρονιςὴρ, inde nuncupatus. *Cælius lib.17. c.4. A.L.*

Fame.

Crates Thebanus amore laborantibus oſtendit remedia: Amori, inquit, medetur fames: ſin aliter, tempus: quòd ſi nec his poſſis, laqueus. Luxus ferè alit amorem: tempus omnia aut tollit, aut certè mitigat. Hæc remedia ſi nihil proſunt, ſupereſt laqueus, ut morbus finiatur ſuſpendio. Græca ſonant jucundius, λιμὸς, χρόνος, βρόχος. *Laert. lib.6. c.5.*

Medicamentis.

Strabo l. Geographiæ 9. duas Anticyras commonſtrat, & in altera, quæ ſit poſt Criſſam oppidum, Elleborum naſci: in al- D tera ejuſdem nominis, quæ ſit ad ſinum Maliacum & Oetam montem, optimè temperari: atque in eam quamplurimis è regionibus adnavigari ſanitatis gratia. *Pauſanias in ultimo libro* ſcripſit, ſupra Anticyram montes eſſe magnoperè petricoſos, in his copioſè provenire Elleborum: nigro purgari alvum, albo vomitum cieri, ac ſuperiora corporis purgari. Stephanus addit, Anticyrenſem quempiam fuiſſe, qui Herculem Elleboro dato liberarit inſania. *Horatius*:

Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit.

Tres Anticyras dixit pro univerſo Elleboro, ſignificans E deploratam & immedicabilem inſaniam.

Vir Prætorius ex ſeceſſu Anticyræ, quam valetudinis cauſa petierat, propagari ſibi commeatum apud Cajum Cæſarem ſæpiùs deſiderabat. Eum ille innata feritate interimi præcepit, adjiciens: Neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem, cui tam diu non prodeſſet Elleborum. *Svetonius.*

Erasmus Roterodamus in Oratione quam pro laude Medicinæ conſcripſit, vidiſſe ſe ait virum nomine Philiarium Spoletanum, qui cùm Italus eſſet, nec in Germania verſatus unquam, pulchrè tamen Germanorum lingua loquebatur, quaſi dæmo- F ne detentus: quamobrem curabatur à Panaceo medico celebri, iſque medicamento exhibito, magnum vermium numerum eduxit, ſolvitque hominem morbo, ſed linguæ Germanicæ uſu privavit. *Cardanus de rerum varietate lib.7. c.43.*

Balneo.

Civis quidam Mediolani olim dementium & inſanorum medicus, habebat domi aream, & in ea lacunam aquæ fœtidæ, in quam nudos ad palum ligabat eos, qui inſani adducebantur, pro inſaniæ modo, ac eos tamdiu aqua atque inedia macerabat, quoad viderentur ſani. *Poggius in Facetiis.*

Finis Libri Sexti ſive Litteræ F.

THEA-

THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK, ARCHIPRESBYTERO ANTVERPIENSI,

Littera G.

** Aſteriſci Titulis, ſive Generalibus, ſive Secundariis, Rebuſve ſub iiſdem contentis præfixi, poſterioris Auctarii ſunt indices.*

A * Galatæ.

QUI, EORUMQUE SECTA.

Galatæ, populi ſunt Aſiæ minoris, è regione Galatiæ, cujus meminit *Lucas Act. cap.16.* quæ vocatur Gallogræcia, à Gallis & Græcis, qui à Rege Bithyniæ in auxilium evocati ſimul venerunt, & utriſque pars regni pro mercede obtigit. Galli ergo Galatiæ nomen dederunt, ut prodidit *Plinius lib.5. capite ultimo, & Juſtinus lib.25.*

Paulus Apoſtolus hanc regionem tranſivit, ut conſtat *loco* B *Act.* citato, & ſingularem ad illos dedit epiſtolam, qua eos revocabat à ſecta Judæo-Chriſtianiſmi, quam mordicùs tenebant, inſtructa à quibuſdam Judæis: ſic ut Euangelium unà cum Judaiſmo ſuſciperent.

Vocat ob id eos Paulus inſenſatos, quòd ad ſapientiam eſſent tardi, & ad plures hæreſes aures accommodarent, & Chriſtianos adhuc ſub legis Moyſaicæ jugo detineri arbitrarentur. Hanc gentem etiam S. Petrus epiſtola plena, ut Eraſmus loquitur, Apoſtolicæ majeſtatis erudiit, quamvis aliis etiam ſit communis. Fuiſſe interim Galatiam Gallorum Coloniam, Juſtinus & alii meminerunt. Exiſtimat autem C Svidas fuiſſe Gallos Senonenſes, qui duce Brenno Romam invaſerunt, quos à Camillo repulſos, vult in Græciam tranſmeaſſe. *Vide ſuper hac de re comment. Corn. à Lapide, in ep. ad Galatas. Lorinum in cap.16. Act. Prateolum de Hæreſib.*

* Galea.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

D Galea caſſidis genus, quod olim ex corio conficiebatur cùm caſſis eſſet ex lamina ærea, aut ferrea, nunc pro iiſdem uſurpatur. *Varro* vult, Galeam à Galero dici, quòd nempè inſtar galeri uterentur pro capitis tegumento: at meliùs Iſidorus & Scaliger, Galeas dictas volunt à Græcis, quòd olim ex pellibus felium fierent, γαλῆ, felem ſignificat *Homerus* Galeam ἰκτίδεην appellat, ab ἰκτῖνος animali, quod felem E refert. Manſit autem nomen Galeæ, quamvis illius materia in deſſuetudinem abierit. Ita ait *Caſaubonus in 9. Strabonis*, Galeam etiam hodie κυνῆν vocamus, quòd olim è pelle canis fluviatilis fieret. Quomodo apud Poetas arma nomine Æris vocantur, quòd priùs ex ære quàm ferro fierent. Teutones Galeam *Helm.* dicunt, ab *Helen*, quod eſt ex, caput enim galea tegitur & celatur.

Eſt & Galea genus navigii, ſed mediam tunc producit. Unde verſus:

Armo caput Galea: pelagus percurro Galaa.

Verùm apud Latinos hæc vox recepta non eſt. Itali Ga- F leram dicunt. Fortaſſis veteres à κελῆς, quod celocem ſignificat, deduxerunt. Græci poſteriores γαλαίαν & γαλεαν dixerunt.

GALEARUM OPIFICES.

☞ *Pete ex Loco de Mechanica. Titul. Mechanici Opifices.*

FORMA EARUM VARIA.

Non una olim Galearum forma, uti hodie. Videre id eſt in Nummis, ubi nunc rotundam, quæ caput duntaxat ambiat: nunc oblongam cuſpide prominentem: in quibuſdam G clauſam undique, ut & faciem celaret: in aliis ſoli ſincipiti oppoſitam: Item leonis aut pardi vultum, imò & criſtas, in nonnullis referentes deprehendimus. Ornatas etiam avium plumis, aut exuviis aliorum animalium olim, uti & hodie videre eſt. Scriptura meminit caſſidis æreæ, qua caput Philiſtæi contectum erat. Verùm apertam fuiſſe verſus faciem, exhinc conficitur, quòd David ejus frontem lapide percuſſerit. Crediderim, olim uſitatum etiam fuiſſe, ut alio caſſidis genere pedites, alio verò equites uterentur, quod modò obſervatur, cum horum clauſæ undique in orbem abeant, illorum verò caput & maxillas tantùm muniant, & faſtigiatæ plerumque H aſſurgant; utriſque tamen ſolemne, avium plumis eas adornare, quarum aſpectu animantur in hoſtem.

A

* Galilæi.

Quinam Sint. Et Hoc Nomine Qui Appellati.

GAlilæi populi ſunt Palæſtinæ, à Regione nomen deferentes. Erat autem duplex Galilæa, altera confinis Judææ, in tribu Nephthali, dicta Galilæa Gentium, quia magna parte à Gentibus habitabatur, datis in ea Hiram Tyriorum regi à Salomone c. urbibus, 3. *Reg.9.* Altera Phœnicibus contermina, in tribu Zabulon, circa ſtagnum Genezareth, Chriſti & diſcipulorum ejus patria. Erat populus ingentis animi & roboris, ut notavit *Ioſeph. lib.2. de bell. Iudaic. c.2.*

Galilæorum nomen in Eccleſia Primitiva datum fuit Chriſti diſcipulis. Unde ſtatim poſt acceptum Spir. S. omnibus ſtupentibus, dixerunt qui aderant: Nonne omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? Mox tamen in ignominiam verſum eſt nomen iſtud, & non niſi per convicium eo appellati ſunt Chriſtiani. Hinc Julianus Apoſtata, Chriſtum ipſum per contemptum legitur appellaſſe Galilæum, apud Euſebium, & in hiſtoria Tripartita, ſic ut moriens, accepto è vulnere ſanguine, blaſphemando diceret, ejaculato in cœlum, ac recepto manibus eodem ſanguine: Viciſti Galilææ, viciſti.

B

GALILÆORUM SECTA.

Meminit Gamaliel Phariſæus, in concione quam ad populum habuit, *Act. c.5. verſ.37.* cujuſdam Judæ Galilæi, quem dicit pervertiſſe populum, & poſt ſe abduxiſſe in diebus profeſſionis, puta, ſolemnis iſtius, & celeberrimæ deſcriptionis: quæ facta eſt ab Auguſto, quando jubebantur ſinguli profiteri in civitatem ſuam; idque per præſidem Syriæ Cyrinum, vel Cyrenium, ut teſtatur *Lucas c.1.* Itaque occaſione præfatæ deſcriptionis, Judas ille populum ad defectionem ſolicitabat, aſſerens indignum Dei populum ſervire, aut alicui tributum pendere. Hunc autem Judam *Ioſeph. lib.18. ant. c.1.* appellat Gaulanitem.

Anaſtaſius Nicenus addit, Galilæos etiam vetuiſſe, ne ſacrificia fierent pro Romano Imperatore, aliiſque Gentilibus; ideòque interfectos vult à Pilato inter ſacrificandum, quem tradit *Luc. c.13.* miſcuiſſe ſanguinem illorum cum ſacrificiis. Legatur præfatus *Anaſt. q.67. in Script. Hegeſippus lib.2. Excid. Ieroſ. c.5. Ioſeph. lib.18. antiq. c.5.*

Conſtat interim, Chriſtianos vocatos fuiſſe Galilæos, & ea

G ratione frequens de illis ſumptum fuiſſe ſupplicium. Imò inter alias cauſas, cur Gentiles Chriſtianos perſequebantur, erat, quòd prætexerent eos ſe ſubtrahere majorum legibus: ita *Clemens Alexand. Iuſtin. & Auguſt.* Quamvis verum ſit, fuiſſe nonnullos primis Eccleſiæ initiis, qui ſe à legibus civilibus & magiſtratus ſubjectione exemptos arbitrabantur, ut teſtis eſt *Chryſoſt. ad c.13. epiſt. ad Roman.* aliique.

Sanè Judæi qui Galilæorum ſectam profitebantur, ita tenaces erant ſuæ religionis, ut nulla tormentorum comminatione propoſito potuerint divelli. Imò Claudius Cæſar duos hujus ſectæ factioſos crucifixit, ut narrat *Ioſeph. lib.20. antiq. c.3.* Quin ille ipſe *lib.7. de bello Iudaic. c.29. & 31.* memorat Judæos qui in Ægypto erant, hoc errore infectos, etiam poſt excidium Jeroſolymitanum adduci nunquam potuiſſe, ut Cæſarem dominum ſuum faterentur.

Atque propter hoc genus hominum, creditum eſt, Herodem magnum anno regni ſui 31. Judæos compuliſſe, ſibi poſteriſque ſubjectionem & regni ſucceſſionem jurare.

D

* Galli. Gallia.

QUÆ ET FRANCIA.

Qui. Et Unde Dicti?

GAlliam ſive Gallos dictos volunt nonnulli à candore corporis, γάλα enim lac ſignificat. *Appianus* à Galatis deduxit. Dicuntur etiam Franci communi nomine, quòd ex Franconia Germaniæ Provincia prodiiſſe eos aſſerant plerique, adeòque idioma Galliæ olim Germanicum fuiſſe: ut quod veteres Franci in Galliam devictam aſportarunt. Exſtat in Bibliotheca Lingonenſis capituli liber concordantiarum 4. Euangeliorum, ſcriptus verſibus Latinis, & Germanicis. *Videatur Tilius Comment. de reb. Gall. lib.1.*

Eſt autem Gallia amœniſſimum Europæ totius, & opulentiſſimum roſetum, & velut Paradiſus. Olim latè ſe extendit, quando & bonam Italiæ partem & Belgicas ditiones complectebatur. Unde eam duplicem faciebant, Tranſalpinam & Ciſalpinam; & quidem Tranſalpinam, quam Comatam *Plin.* Celtogalliam Ptolomæus in tres partes dividebat, Celticam, Belgicam, & Aquitanicam: addunt alii, Narbonenſem. Quadraginta enim gentes fuiſſe perhibentur, quod & nummus Antonii indicat, A. XI. cum effigie Leonis gradientis. E

Habet unum Regem, ſervata lege à Pharamundo ad hunc Ludovicum XIII. per annos M. C. LXX. qui in ordine Regum eſt LXIII.

Seriem Regum & Ducum Galliæ. ☞ *Quære in Chronologia Regum & Principum, & Tit. de Magiſtratu Chronologicè conſiderato. Gallorum Duces fortes.* ☞ *Quære Fortitudo.*

Reges. ☞ *Quære Tit. de Magiſtratu Chronologicè conſiderato.*

Plura requirat Lector apud Gerald. Mercatorem, Abrah. Ortelium, P. Bertium, & alios, qui rem Coſmographicam & Geometricam ſcriptis prodiderunt.

* Galli Gallinacei. Gallinæ.

Qui Vocentur.

F

GAlli Gallinacei genus ſunt avium domeſticarum, ἀλεκτὼρ, mas in eo genere, ubi fœmina Gallina, ἀλεκτορίς. Nocturnus vigil, ait quidam, quem excitandis in opera mortalibus, rumpendoque immoderato ſomno, Providentia genuiſſe videtur. A Galea, id eſt, criſta dictas eo nomine has aves volunt. Imò & à caſtratione Gallum dici *Iſidorus* contendit, quia inter alias aves huic ſoli teſticuli adimuntur, ut pingueſcat, & cantillare deſinat. Unde & modò obtinuit, ut Eunuchos & Caſtratos, vocemus capos, id eſt, caſtratos gallos.

Habet autem vox Gallus plures ſignificationes, nam præter Gentem & Avem, inſuper fluvium Phrygiæ, & ſacerdotem Cybeles ſignificat. Unde verſus:

Gallus Avis, Populus, Fluvius, Cybeleſque Sacerdos.

EORUM NATURA, ET PUGNACITAS.

Gallinaceorum naturam admirantur, qui rerum naturalium hiſtoriam ſcripſerunt, eoſque *Plin.* vocat vigiles nocturnos, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno, natura genuit. Norunt, ait, ſidera, & æternas diſtinguunt horas, interdiu canunt, cum ſole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia, ad curas laboreſque revocantur. Imperitant ſuo generi, & regnum, in quacunque ſunt domo, exercent. Dimicationes pariter inter ipſos ſunt, velut ideò agnata cruribus tela intelligentes. Victoriam cantu promulgant, ſi victi ſunt, ſilent, ægrèque patiuntur ſervitium. Excitantur autem ad pugnam, allio & pipere. G

QUI A SE REPULERINT.

Sybatriæ, gens ad omnem molliciem nata, gallum in urbe eſſe prohibuerunt, ne nocturni ſomni quietem interpellarent ideòque & fabriles artes ablegaverunt, ut memoriæ prodidit Athenæus, ne quid eſſet, quod voluptates interturbaret.

IN EXEMPLUM ADHIBITI.

Themistocles Gallorum exemplo, in quos acriter pugnantes inciderat, exercitum confirmavit, cùm oſtenderet eos non pro patria, neque pro Penatibus, aut majorum ſepulchris, uxoribuſve, aut liberis, id periculi aggredi, ſed ea ſolùm de cauſa, ne vincerentur, nolle iterum alteri cedere.

Cum Honorio Ravennæ nuntiatum eſſet, Romam perditam, credidit ille de Gallinaceo pugnace narrari, cui Romæ nomen indiderant, quem ſubitò interiiſſe arbitrabatur, cum tamen Romanam Urbem Alaricus Gothorum Rex occupaſſet. *Bapt. Egnat. l. de Rom. Princip.* H

GALLO BELLUM INDICERE.

Priſcus belli indicendi ritus apud Romanos fuit, ut poſtquam per oratores negotia ſua indicaſſent, ut bellum indixiſſent, neque hoſtis poſtulata concederet, haſtam belli ſignum in fines eorum conjicerent. Poſterioribus tamen ſæculis non haſtam, ſed gallinaceum projecerunt, & rectè pugnace animali pro bellico ſigno ſunt uſi, cum ex eo etiam agnoſtica ſibi milites pararent. *Phil. Camerar. horar. ſucciſ. p.2. c.89.*

PUGNACES IN DELICIIS HABITI.

Omnium pugnaciſſimi Galli ſunt in Inſula Rhodo, ut teſtatur *Ioannes Pierius in Hieroglyphicis:* ita ut proceritate & animoſitate reliquos præcellant, & Romam inde allatos affirmat.

Petrus Quinqueranus Epiſcopus Senecenſis *lib.2. de laud. Provinc.* fatetur, ſe Rhodium Gallum habuiſſe, eumque ſemeſtrem, ita ad prælia ineunda animum comparatum habentem,

A ut & canibus inſultaret, omneſque ſui generis occideret, neque Gallo Indico, etiam maximo, cederet.

Sed olim Gallorum pugnacitatem adamaſſe, & in eam finem foviſſe, Delios, Athenienſes, totamque Græciam, & Aſiam, atque adeò Romanos Imperatores, è veterum monumentis eruitur.

Apud Indos Orientales etiam Regibus pro deliciis eſſe, obſervat in *ſua Indiæ Orientalis deſcriptione Bilibald. Strob. Sileſius, p.1. Indiæ Orient.* ubi refert, Regem de Tuban, qui omnium Mamaluccorum eſt potentiſſimus, Hollandis eò digreſſis omnem Palatii ſui exhibuiſſe ſplendorem, & inter alias delicias ac voluptates, eos conclave vidiſſe caveis undique plenum, in quarum unaquaque Gallus inſidebat. Hos, inquit, alit Rex voluptatis gratia, ut eos ſubinde ludicris pugnis adhibeat.

Fortaſſis exhinc Hollandi idipſum imitati fuere. Nam paſſim in oppidis, perinde ac pagis, ita Gallinaceæ pugnæ ſunt ſtudioſi, ut quælibet vicinia diebus otio dedicatis aciem Gallorum producat, qui concertent, cumulatim agglomeratis incolis, qui ſpectatum accurrant, pugnantes incitent, acuant ad pu-

B gnam, victorem laudent, & cibo reficiant; neque eſt inter Europæos gens adeò hujus voluptatis amans, perinde ac iſta.

Singulari voluptati Javæ Inſulæ habitatoribus eſſe, Hollandi noſtri, qui ante annos XX. aut circiter eò contenderunt negotiandi cauſa, aſſeruerunt, Gallos educatos in pugnam & conflictum inſtituere. Quoties enim amicitiæ ergo conveniunt, inter ſe de pugna inſtituenda Gallorum contendunt, iiſque calcaria innectunt, & ita armatos in prælium educunt, excitant, monent; qui inflammati ea laude, duellum non remittunt, niſi altero obtruncato. *Edoardus Lopez in deſcript. Indiæ Oriental. p.2. lib. ult.*

PRO INSIGNIBUS USURPATI.

Idomeneus Cretenſium Rex, Minois nepos, à Paſiphae Solis filia oriundus, in ſcuto ſuo pro inſigni gerere ſolitus imaginem Galli Gallinacei, quia hæc avis ſacra Soli eſſet. *Pauſan. lib.5.*

ODIUM.

Germanicus Imp. ut teſtantur, qui vitam illius ſcripſerunt, galli gallinacei neque vocem, neque adſpectum ferre poterat.

Sybaritæ. ☞ *Vide paulò ante.*

C ☞ *Gallorum Victima. Conſule tit. de Ethnicorum ſuperſtitione. §. Ethnicorum religio conſiderata reſpectu formæ, ubi de illorum Sacrificiis.*

☞ *Gallinarum divinatio. Quære Divinatio.*

Gallicus Morbus.

Quem luem Veneream dicimus. ☞ *Quære ſub tit. Adfectuum partium Corporis. Loco de Corpore.*

Gangræna.

GAngræna eſt membri alicujus mortificatio, ob inflammationis, cum qua conflictatur, magnitudinem, & caloris naturalis impotentiam. ☞ *Quære Cancer, & Mors.*

* Garrulitas.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

GArrulitas ἀδολεσχία, Hebr. *hemiah. & hamith*, id eſt, ſtrepitus, ſonitus, vox, clamor, à verbo *hamah*, tumultuatus eſt, ut fit in magna multitudine & copia, ubi confuſæ voces ingentem atque inconditum ſonum edunt. Quæ ſignifica-

D tiones garrulo ſine mente voces effutienti, garrulitatique maximè convenient. Solent enim garruli aures patulas obtundere, ita ut obſurdeſcant, tanquam ad Nili cataractas, qui iſtos auſcultant. Hebræis etiam *Homullah* dicitur, ſtrepitus loquelæ copioſæ, ſonitus ſermonis magni ſeu prolixi ὁμιλία, loquor in magna copia hominum, concionor, ὁμιλία, ſermo, homilia, ὅμιλος, cœtus. Garruli equidem meritò oratorum, & Eccleſiarum ſimioli dicendi ſunt. Quod enim prudentes & pii de rebus ſeriis, ſacriſque graviter pronunciant, iſti circa nugas verſantes ridiculè effutiunt.

Garrulos Græci ἀδολέσχας, quaſi avidos confabulandi, παρὰ τὸ ἅδειν τῇ λέσχῃ nuncuparunt. Veteres Latini fatuos dixere: eſt enim fatuus à fando, & inepta loquentem notat, Α'δόλεσχον ἀδολεσχίαν, nugas. Sunt qui garrulos à γηρῦς, id eſt, voce deducunt, γαρύω enim Doricè eſt, loquor.

DESCRIPTIO PARTICULARIOR.

Garrulitatem, & garrulum his coloribus graphicè depingit Theophraſtus *in notationibus morum*. Garrulitas eſt longorum, & inconſideratorum ſermonum effutitio. Garrulus autem ejuſmodi eſt, qui apud ignotum juxtim ei aſſidens, uxoris & ſuæ laudes prædicare inſtituat: deinde quod præcedenti E nocte ſomniaverit, id narret: tum quæcunque in cœna ſibi fuerint appoſita, omnia ſigillatim recenſeat. Mox verè ubi incaluerit, homines hujus ſæculi dicet eſſe antiquis deteriores: frumenta in foro vili væniſſe pretio: peregrinos eſſe in urbe quamplurimos: mare ſtatim à Dionyſiis patere navibus: & ſi Jupiter pluerit, eorum quæ terra conduntur, meliorem fore proventum: ſeque agrum ſuum in ſequentem annum eſſe culturum: ait etiam, vivendi rationes eſſe perdifficiles: & quum myſteria agitarentur, Dannipum facem omnium maximam ſtatuiſſe. Quærit etiam, quot ſint Odei columnæ? &, Quotus hic eſt menſis dies? Quòd ſi quis patientem ſe præbeat, nunquam ille ab eo diſcedet. Narrabit myſteria menſe Boedromione, Apaturia Pyanepſione, Poſideone verò quæ agitantur, ruri Dionyſia ſolita celebrari. Id genus dimiſſis manibus grandique gradu fugiat oportet, quiſque febre carere volet. Difficile enim cum iis durare, qui neque otii neque negotii tempora diſtinguere norunt,

Horat. Satyr. lib.1. Sat.7. Cujus initium:

Ibam fortè via Sacra.

Plut. libello pulch. de Garrul. hominis garruli characteres luculenter propoſuerunt. ☞ *Vide Famigeratio, & Loquacitas.* F

NATURA ET CONDITIO.

Juvat hoc loco in medium adducere inſigniora quædam Plutarchi dicta, *ex libro περὶ ἀδολεσχίας*, adversùs garrulos.

Morbum curatu admodùm difficilem atque moleſtum in curam recipit philoſophia, garrulitatem.

Hoc primum habet malum garrulitas, quòd non audiat.

Garruli naturam reprehendunt, quòd unam quidem linguam, duas autem aures habeant.

Alii quidem ſermones continent, garruli verò pleni ſunt rimarum, & perfluunt: deinde tanquam cauſa, mente caſſi, ſono pleni obambulant.

In eo ſunt infelices, quòd neque audiunt, neque audiuntur.

Sermonis proprius finis hic eſt, ut fidem faciat audientibus: nemo autem fidem habet loquacibus, etiam ſi vera loquantur. G

Quod in corde ſobrii eſt, id in lingua eſt ebrii.

Temulentus nugatur inter pocula: garrulus autem ubique, in foro, in theatro, in deambulatione, interdiu noctuque.

Jucundius cum pravis, dextri tamen ingenii, habere colloquium, quàm cum bonis, ſi ſint garruli.

Animæ cæteri morbi partim ſunt periculoſi, partim odioſi, partim ridiculi: garrulitati autem hæc omnia accidunt.

Dicendi magiſtros habemus homines, tacendi autem Deos ſilentium initiationibus myſteriiſque quaſi per manus accipientes.

Ægyptiorum rex cum Pittaco victimam miſit, juſſitque optimam ac peſſimam carnem eximere, linguam exemptam remiſit; quaſi bonorum quidem, non minus tamen, & maximum malorum inſtrumentum eſſet.

Qui ingenuam regiamque conſecuti ſunt eruditionem, primùm ſilere, deinde loqui didicerunt.

Loquutum eſſe, ſæpè me pœnituit, inquit Simonides; tacuiſſe nunquam.

Silentium non ſolùm ſitim non conciliat, ut ait Hippocrates, verùm neque triſtitiam, nec dolorem.

Exempla & ſimilia elegantiſſima de garrulitate, idem liber continet. H

APOPHTHEGMATA ET EXEMPLA.

Ac Primum ETNICORUM.

Zeno Citticus, audiens adoleſcentem nimis garrulum: Aures (inquit) in linguam defluxere. Oſtendit autem, adoleſcentis eſſe audire quidem multa, loqui autem pauca. *Laert. lib.7. c.1. Stob. ſer.6.* Idem alium multa garrientem, hoc dicto Zeno corripuit: Ob id binas habemus aures, & os unicum, ut plurima audiamus, loquamur autem pauciſſima. *Ibid.*

Idem, adoleſcenti confidenter loquenti: Non dixeram, inquit, ò adoleſcens, quæ mihi ſuccurrunt: Significans, ex ſermonis procacia colligi morum impudicitiam. *Ibid.*

Idem, è diſcipulis ſuis aliquos dicebat eſſe φιλολόγους, id eſt, vanæ rerum cognitionis ſtudioſos, alios verò λογοφίλους, id eſt, loquendi tantùm ſtudioſos. *Stob. ſer.39.* Idem, quum percon-

A ratus eſſet à quodam homine ſatis contentioſo: An virtus utilis eſſet; renuit, non volens verbis reſpondendo eis occaſionem dare litigandi. *Eod. ſerm.* Idem, Adoleſcenti in Academia de rebus & negotiis frivolis garrienti, dixit: Niſi lingua in mentem intincta diſſerueris, adhuc multò ampliùs dicendo delinques. *Ibid.* Clearchus, Quæ nolis audire (inquit) ea etiam ne dicito: quæ nolis dicere, ea ne audito quidem. Aurium enim & linguæ magnum eſt periculum. *Max. ſerm. de temeritate linguæ.*

Plato, Cùm Ariſthenes aliquando in diatriba longam orationem habuiſſet: Ignorans, inquit, quòd dicendi modus non penes loquentem, ſed audientem eſt. *Stob. ſer.* 37. *Max. ſerm.* 47.

Menedemus, quendam frivolis nugis obſtrepentem, rogavit, num fundum haberet? Ut is reſpondit, ſibi plurimas eſſe poſſeſſiones: Abi igitur, inquit, & illas cura, ne turpiter eas perdas. Notavit autem hominem inaniter garrulum, qui ad agros colendos magis eſſet idoneus, quàm ad dicendum. *Laert. lib.* 2. *c.* 16.

Apollonius dicere ſolebat, loquacitatem multos quidem B habere errores, ſilentium autem tutum eſſe. *Stob. ſer.* 4.

Idem interrogatus, qui eſſent hominum optimi? Qui in dicendo (inquit) ſunt breviſſimi. Linguaces autem, ſi tantum moleſtiæ caperent, quanta reliquos afficiunt, haud ſanè longos ſermones facerent. *Ibid.*

Demosthenes, in convivio cuidam tam multa loquenti: Si tam multa, inquit, ſapuiſſes, nunquam tam multa locutus eſſes. *Ibid.* Idem rogatus, cur unam habeamus linguam, aures verò duas? Quia, inquit, duplo plus audiendum, quàm loquendum. *Ibid.*

Euſebius philoſophus dicebat, homines magnum poſſidere vallum dentium ad coercendos leves ſermones. Nos in omni re judicio mentis indigere, quæ ſi verba non direxerit, ſæpiùs ante conſultationem effugiunt: & tanto vallo neglecto, citra judicium ante tempus foras ruunt. *Ibid.*

Lycon, oratores ranis ſimiles eſſe dicebat: has enim in aqua clamare, illos verò ad clepſydram. *Ibid.* Idem dicebat, Quemadmodùm hirundines perpetuo garritu familiaritatis voluptatem perdunt; ſic garrulos perpetuò obtundentes moleſtos eſſe auditoribus. *Ibid.*

C Democrates, avaritiam quandam eſſe dicebat, omnia velle dicere, & nihil audire. *Stob. ſer.* 56. *& Max. ſer.* 47.

Isocrates, cùm locutulejus quidam nomine Caræon in diſciplinam ejus recipi vellet, duplicem mercedem poſtulavit. Illi verò cauſam interroganti, dixit: Alteram quidem peto, ut loqui diſcas, alteram autem ut tacere. *Stob. ſerm.* 36. *Ant. Meliſſ. p.* 2. *ſerm.* 40. *Max. ſerm.* 47.

Archelaus, tonſori garrulo ſubinde roganti, Quomodo te radam, ò rex? Silendo, inquit. Alter aliud reſponſum expectabat, & hinc dicti lepos. Quidam ſunt in curatione moroſi, Archelao ſatis erat, ſi ſileret. Nobis autem interdum etiam cum ebriis, pariterque loquacibus res eſt. *Plut. in Apoph.*

Quidam, Juriſconſulto loquaci dixit, non oportere multis verbis pauca dicere, ſed paucis multa. *Ant. & Max. de temeritate in dicendo.*

Hieron qui Geloni ſucceſſit in regnum, neminem qui liberè apud ſe loqueretur, importunum aut moleſtum eſſe dicebat: cæterùm qui arcanum efferrent, eos exiſtimabat etiam illos lædere, apud quos effutient, eò quòd odimus non ſolùm D illos qui efferunt, verùm etiam eos qui audierunt, quæ nollemus illis audita eſſe. *Ibid.*

Æsopus dixit, finem loquacitatis eſſe infortunium.

Ausonius quoque, Sicut, ait, vaſcula inania maximè tinniunt, ita quibus minimum ineſt mentis, & criſis, hi ſunt loquaciſſimi.

Græci tradunt, cornicem ob id à Pallade repulſam, quòd garrulitate ſua meditationum pervigilio officeret. *Ita Pierius Hieroglyph.* 20.

Apud Romanos erat Citeria, effigies quædam arguta & loquax, quæ in pompa ridendi gratia circumducebatur. Unde M. Cato in Cecilium: Quid ergo, ait, dicerem ampliùs: quem ego denique credo in pompa vectitatum iri in ludis pro Citeria, ac ſpectatoribus ſermocinaturum?

Cyrus puer Cambyſis Perſarum regis, loquacior erat: partim propter inſtitutionem, quòd more Perſarum à magiſtro cogeretur, & factorum ſuorum rationem reddere, & ab aliis poſcere, quum jus diceret: partim quòd, quum diſcendi ſtudioſus eſſet, multa ſemper ex præſentibus, quo pacto ſe haberent, ipſe percontaretur, & ſciſcitantibus aliis ob acumen ingenii expeditè reſponderet: has ob cauſas ſibi loquacitatem con- E flavit. *Xenoph. de inſt. Cyri. lib.* 1.

Tonſtrinas Theophraſtus propter confidentium illic loquacitatem, ἀοινασυμπόσια, hoc eſt, ſicca convivia appellavit. *Plut. lib.* 5. *con. q.* 5.

Libanius: Nonne mulier iſta tibicen Arabicus eſt, vel etiam quid importunius? turture loquacius, pica, luſcinia, cicada? Dodonæum ſuperat æs: illud enim admoto quidem à ventis flagello reſonat, tranquillo aere ſilet: atqui hujus linguam nihil poteſt compeſcere, non bruma, non æſtas, non ventus, non ſerenitas.

CHRISTIANORUM.

Quantùm autem Garrulitatis vitium deteſtatus fuerit ſenex quidam Eremita, ex ſubjecta hiſtoria conſtat. Nam cum fratribus pergens ad S. Antonium, ſemper tacebat, illis mirum in modum garrientibus: ventum tandem ad Antonium, qui præ via ſalute, Mi Pater, ait, admodùm facundos & bonos, ut video, nactus es comites. Cui ille: Boni ſunt quidem, ſed habitatio eorum non habet januam: quicunque vult, intrat in ſtabulum, & ſolvit aſinum. Indicat autem, eos ſupra modum loquaces, quidquid in buccam venerit, effutire. *In vita S. An-* F *ton. L. Beyerl. in Apoph.*

Mirum in modum facetus fuit Adrianus VI. Pont. Venerat enim ad eum quis ex clericis domeſticis, homo intemperatæ linguæ, poſtulans Archiepiſcopatum de Calliard in Hiſpaniis. Cui ille ad poſtulata alludens (Calliat enim tacere Hiſpanis eſt) Quomodo, inquit, eam dignitatem tibi conferri deſideras, cui tu omninò contrarius es, & impar? ingenioſè nimiam ejus in dicendo libertatem reprimens. *Foreſta.*

Conſiderabat etiam Alphonſus Arag. Rex, in multiloquio non deeſſe peccatum; hinc garrulos intuitus, Videte, ajebat, has veſicas. Veſicæ ſiquidem humoribus infuſis diſtenduntur, & tumeſcunt, donec eum reſpuant: ita loquaculum illud genus. *Panorm. lib.* 4.

Rex eſt noxia, garrula loquacitas. Itaque ſecundùm veterum præcepta, ad taciturnitatem nos exercere ſtudebimus, ne futiliores ſimus *Homerica* anu, quæ ſe profitetur,

Ἕξειν ὡς ὅτ᾽ ἔτι στερεὼ λίθον ἠὲ σίδηρον.

Tacere enim non ſolùm contra ſitim prodeſt ſecundùm *Hippocratem*, ſed multa etiam ſilentio mala & infelices eventus averti ſolent. *Cam. Fab.* 282.

G Scribit *Ja. Soriſberienſis*. Res ardua deſiderat attentionem & virum gravem decet conſilia meditari, ut quidquid agit, quidquid loquitur, ſit pro conſilio homini ſapientiam affectanti. Eſt autem oris circumciſi proferre, quibus nihil liceat demi vel apponi. Eſt autem viro gravi turpiſſimum, ſi jugiter ſe fabulis & nugis admiſceat, & inter congarrientes perſtrepet, velut tabulus anſer immixtus oloribus; & omnem materiem credat aptam litigiis.

Ambigitur quid enim Caſtor ſciat, an docilis plus
Brundvſium Numici melius via ducat, an Appi.

Præterea quæ abundant, ſui copioſitate vileſcunt; & cum multiloquio peccatum non deſit, pauca prudenter loquentis ſermo eſt pretioſus. Unde Socrates quærenti, quomodo quis famam optimam compararet: ſi geſſerit, inquit, optima & locutus fuerit pauca. *Lib.* 5. *Polycratici, c.* 6.

Gaudium.

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA, H

Et Acceptio Varia.

Gaudium, Græcè χαρὰ, vel χάρμα, vel χαρμονὴ, dicitur, & χαίρω, gaudeo. Hebr. *Simihah*, à verbo *Samach*, lætus fuit, gaudio perfuſus eſt. Eſt gaudium paſſio concupiſcibilis, proveniens ex perfectionis appetitæ conjunctione, ſecundùm interiorem apprehenſionem ſenſus vel intellectus, *ſecundum B. Th.* 4. *ſent. diſt.* 49. *q.* 3. *c.* 1.

Vel, gaudium eſt affectio animi, alicujus præſentis boni opinione concepta, à quo *gaudeo* verbum. Sunt qui velint, gaudium à verbo Græco deduci; illi enim γαῦρον ſuperbum dicunt: Differunt autem ſic gaudeo & lætor, quòd lætari eſt extrinſecùs, gaudere verò intrinſecùs, quare propriè lætus is dicitur, qui hilaritatem, quam intùs habet, etiam vultu oſtendit.

Χαρὰ ἀπὸ τοῦ χέειν καὶ ῥεῖν *Platoni derivatur, qui eſt repentina effuſio ſanguinis & ſpiritus ad exteriora: ſive per ſigna aliqua ſeſe manifeſtam faciat, ut per riſum aut gratu-* A *lationem: ſive intus in animo ſe contineat, quod Tacitum gaudium vocatur. Ex nimia autem hac effuſione fit interdum ut homines moriantur. Exempla quædam inferius referentur eorum qui gaudio ſunt mortui, illic enim gaudii habetur ratio, ut mortis eſt inſtrumentum, hic verò, ut eſt effectus.* Ἐπιχαιρεκακία, *ex inimicorum malis poſt agetur. Gaudium ex bonis tum propriis, tum amicorum, ſi eximium ſit, & quidam gaudii velut exceſſus,* περιχάρεια Galen. *dicitur* 12. Matth. 5.

Certè experientia teſte docemur, ſtupere ad ſubita gaudia ſenſum, præſertim ſi poſt gravem triſtitiam ſequitur. Unde Dejaniræ apud *Sophoclem in Trachinis* reſpondet Lichas, de hoſpita quam illa ſummo honore exceperat:

Ita benevolè, ut diu
Prægaudio attonitum mihi ſtupuerit.

Atque ita verum eſt illud *Martial. lib.* 11. *Epig. in* 37. *vel* 21. *de Cajo Proculo:*

Minùs gaudent qui timuere nihil.

Eſt & aliud gaudium ſecundùm *D. Auguſt.* quod non de creatura, ſed de creatore concipitur, quodque poſt charita- B tem inter 12. Spiritus S. dona numeratur: eſtque complacentia in divino ipſius Dei bono, cum in alieno, cum proximi. Recitat *Hieron. in* 5. *epiſt. ad Epheſ.* ex Euangelio ſecundùm Hebræos illam Chriſti ſententiam, Nunquam læti ſitis, niſi cum fratrem videritis in charitate: Qui ſeminat, & qui metit, gaudet. Legatur de hoc gaudio ſpirituali, quo & Apoſtoli cæſi gaudebant, quòd pro nomine Jeſu contumeliam pati digni eſſent; *Hieron. Platus lib.* 3. *de bono ſtat. Relig. c.* 7. *& Franc. Arias Tract. de orat. mentali p.* 3. *c.* 2. *& ſeq.*

Prior acceptio hìc potiſſimùm conſiderabitur.

POSITIO GAUDII.

Gaudium.

Ob Inventa præclara.

☞ *Contemplatio ad exercitationem pertinet: Voluptas inter accidentia vitæ theoricæ connumeranda eſt, Gaudium in animo ex hac voluptate natum hujus tantùm eſt loci.*

Thales inventa adſcriptione trianguli, & circuli, mathematicis Muſis bovem immolavit. Pythagoras inventa ratione laterum trianguli rectanguli, hecatomben ſacrificavit. Eratoſthenes inventa cubi duplicatione, votivam tabulam cum epi- C ſtola, demonſtratione, epigrammate ſuſpendit. Archimedes inventa permiſti auri atque argenti ratione, è balneo nudus cucurrit domum clamans, Εὕρηκα, εὕρηκα. Perſeus linearum curvarum tribus ſpeciebus inventis, deos placavit. Teſtatur id epigramma:

Τρεῖς γραμμὰς ἐπὶ πέντε τιμαῖς εὑρὼν τὰς σπειρικὰς
Περσεὺς, τῶν δ᾽ ἕνεκα δαίμονας ἱλάσατο.

P. Ramus lib. 1. *Proœmii Mathem.*

Galeacius de Rubeis, civis Bononienſis, faberque ferrarius, cum jam olim inventam cocleam Archimedis ipſe quaſi primus author exiſtimaretur reperiſſe, præ lætitia inſanivit. Vidimus illum verſantem truſatilem machinam, ac paulò poſt mente excuſſum, inquit *Card. de Subtil. lib. de Princ. rerum. Ex Matheſi.*

Archimedem tabulæ affixum abſtrahebant atque exuebant miniſtri, ut eum lavarent: ille verò in corpore uncto deſcribebat formas. *Plut. an ſeni reſp. tract.*

Ex Omine felici.

Octavius Cæsar apud inſulam Capreas, veterrimæ ilicis dimiſſos jam ad terram, languenteſque ramos convaluiſſe ad- D ventu ſuo, adeò lætatus eſt, ut eas cum rep. Neapolitanorum permutaverit Ænaria data. *Svet.*

Ex Muſica.

Canus fiſtulator, neſcire dicebat homines, quantò plus ſe, cùm tibia caneret, quàm alios demulceret: fore enim, ut qui audire vellent, poſtulaturi eſſent, non daturi mercedem. *Plut. an Seni tract. reſp.*

Idem de Aſpendio citharœdo refertur, ſic ut proverbium ortum ſit: Sibi intùs canere.

Ob mœchanicam exercitationem.

Nicias pictor uſque adeò tenebatur artis ſuæ operibus, ut de famulis ſæpiùs quæreret, an laviſſet & pranſus eſſet. *Plut. an Seni tract. reſp.*

Ob Caſtitatem.

Sophocles tragicus gaudere ſe ajebat, quòd rem veneream ſicut ferum & rabioſum dominum effugiſſet. *Ibid.*

Ob Liberalitatem & Beneficentiam.

Epicurus, qui ultimum bonorum in altiſſima quiete, ſicut in tranquillo portu & placido, ponit, beneficium dare quàm accipere, non ſolùm honeſtius, verùm etiam demonſtravit eſſe jucundius. Siquidem nihil perinde eſt lætitiæ gignendæ, ac E beneficium. Sapiens fuit ille, Gratiis qui indidit vocabula Aglajæ, Euphroſynæ, & Thaliæ. Quippè gratulatio & lætitia uberior eſt in dante beneficium & purior. Quapropter accipiendis beneficiis rubore multi ſuffunduntur: ſemper verò exultant, quando benè merentur. *Plut. an Principi Phil.*

Ageſilaum regem Spartanorum Xenophon tradit, cùm locupletaret amicos, exultaſſe; qui interim pecuniam ipſe contemnebat. *Plut. in Præcept. Polit.*

Ex Loco.

Philemon comicus jam ſenex, cùm aſinum ficus à puero depoſitas devorantem conſpexiſſet, & puero reverſo dixiſſet: I nunc, & potum aſino affer: joci urbanitate ita delectatus eſt, ut riſu ſolutus obierit.

Ob Religionem, Sacra, Templum.

☞ *Vide Tit. Dierum feſtorum, quatenùs religioſam hilaritatem adjunctam habent.*

David rex Judæorum cùm rerum geſtarum gloria omnibus qui in Judæa regnaverant, præferretur, non erubuit, dum arca F à Levitis portaretur, omni regiæ dignitatis ornatu depoſito, & ephod lineo ſumpto, pedes incedere, ſaltare, ludere, & quaſi unus è plebe jucùdis geſticulationibus uti: donec illa in urbem invecta, ſub tabernaculo, quod ipſe tetenderat, venerabiliter collocaretur. Ex quanta autem in Deum pietate quantoque amore ea regis exultatio proveniret, Michol uxoris ſuæ pœna teſtatur: quæ quoniam ſcurrilis levitatis illum arguerat, Deo ulciſcente, perpetuæ ſterilitatis damnum tulit. *Marul. & Sabell. lib.* 5. *c.* 1.

Cùm Herodes rex Judæorum templum Jeroſolymitanum novem annorum ſpatio perfeciſſet, ingens gaudium exortum eſt in Populo, omnibus gratias agentibus Deo pro tam celeriter finito opere, & regni fauſta ominantibus, & inſtaurationem templi magna feſtivitate concelebrantibus. Maximè quòd etiam in hanc abſoluti templi celebritatem natalis Herodis dies incidiſſet. *Joſeph. lib.* 15. *c.* 24. *Antiq.*

Ex Tyrannorum oppreſſione, morte.

Quas cenſemus & quantas fuiſſe voluptates Platonis, cùm incitatus ab ipſo evertiſſet Dionyſium Dion. Siciliamque ſervitute exemiſſet? Quas Theophraſti & Phidiæ, cùm patriæ tyrannos ejeciſſent? *Plut. contra Epicurum.*

L. Sylla à Mithridatico bello revertente, C. Marius ſepti- G mùm conſul creatur. Bellum hìc civile crudelius quàm ante expectabant. Intereà moritur Marius. Itaque ſumma in præſens lætitia & ſpes tanquam gravi dominatu liberatam urbem Rom. tenuit. Cæterùm intra paucos dies ſenem dominum ſenſerunt ſe commutaviſſe juvene & vigente, ita atrocem filius ejus ſe Marius, & acerbum optimatibus principibuſque necandis præbuit. *Plut. in Mario.*

Maximinis patre & filio in Aquilejæ obſidione ob crudelitatem à militibus noctu interemptis, ſumma Provincialium omnium lætitia interfectores excepti, & commeatu recreati ſunt. Romæ hecatomben Balbinus Imp. fecit, & ſupplicationes decretæ. Capita inſultante populo exuſta, cadavera in profluentem abjecta. *Capitol.*

Ex Patriæ præſtantia.

Pædaretus Spartanus in trecentorum lectione præteritus (qui honos in civitate cenſebatur ordine primus) hilaris ridenſque digrediebatur: gaudere jactans ſe, quòd cives habe- H ret civitas trecentos ſe præſtantiores. *Plut. in Apoph.*

Ob Patriam reſtitutam.

Quantam putamus Ariſtotelis fuiſſe voluptatem, cùm Alexandri Magni permiſſu, ſolo æquatam excitavit patriam ſuam, civeſque reduxit? *Plut. contra Epicurum.*

Ob reditum in patriam.

Græci qui Cyro militaverant, è Perſide magna cum difficultate revertentes, poſteaquàm ſub montem Chenium pervenere, ſimulatque mare Euxinum conſpectum eſt ab his qui primi procurrerant, repentè in lætitiam rapti, mirum in modum geſtire, clamoreſque ad cœlum adeò ingentes præ gaudio extollere cœperunt, ut qui procul inter montana voces illas exceperunt, attoniti re nova, ſuſpicarentur adeſſe hoſtes, illicòque ad arma per ea undique loca concurſum ſit. Mox ubi acies omnis in locum, ubi in maria proſpectari poterant, evaſit, portentis in cœlum palmis gratias diis agere, peragere, perinde ac

A jam evaſis deinceps periculis, in tuto ſalutem haberent. Ibi ſecuri, collato in unum locum ingenti lapidum acervo, ſtrues ex eis ingentes eduxerunt, in quibus hoſtium ſpolia ſtatuerunt, cupientes ejus expeditionis memoriam monumentis illis immortalem dimitti poſteritati. *Diod. lib.* 14. *Bibliot.*

M. T. Cicero ob Clodii inimicitiam in exilium actus, rediit Pompejo & Lentulo Coſſ. tanta urbis lætitia, ut quaſi avulſa ſedibus ſuis Roma, omnis ætas, ordoque obviam procederet. Quæ omnia ex ejus orationibus, & pridie quàm iret in exilium, & poſtquam rediit, licet deprehendere.

Ob Divitias.

Horat. lib. 1. *Serm. Sat.* 1. de Avaro quodam ſic ſcribit:

——— quidam memoratur Athenis
Sordidus & dives populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Ob Dona.

Colloquente cum procis comiter Penelope, atque donantibus illis veſtes, aurum, & ornamenta alia, lætus Ulyſſes:

Dona quod illorum cepiſſet, corde triumphat.

B Siquidem muneribus & quæſtu geſtit, proſciſſum in comœdia ſuperat lenocinio Poliagrum:

Beatus eſt Poliager, cæleſtem capram
Qui nutrit, ac multis dicantem cenſibus.

Sin verò ratus potiùs opportunos habiturum ſe ob ſpem & expectationem, nec opinantes, non injuſta eſt ejus lætitia & fiducia. *Plut. de Aud. poetis.*

Cantor quidam, comite filia Stratonica, coram Mithridate Aſiæ & Ponti rege in convivio pſallebat: Rex Stratonicæ captus amore, ſtatim eam cubitum abduxit, ægrè admodùm ferente ſene, ne ſalutatum ſe quidem à rege. Ut tamen ſub diluculo expergefactus, domi conſpexit aureis & argenteis poculis refertas menſas, frequentem famulitii turbam, eunuchos & pueros, qui exquiſita pallia offerrent, atque in veſtibulo ſtantem equum exornatum, ſicut regis amicis ſolet: deriſui & ludibrio ſe haberi ratus, efferre ſe oſtio voluit. Verùm retinentibus eum miniſtris, exponentibuſque, divitis nuper defuncti opimam hæreditatem ei à rege donari, atque tenues has primitias & documenta eſſe reliquorum bonorum & poſſeſſionum; ita vix tandem his fidem habens purpuram induit, inſi-
C lienſque in equum, per urbem vectus eſt clamitans: Mea hæc omnia ſunt. Ad deridentes ipſum, non hoc ait eſſe mirum, ſed quòd gaudii impotens obvios non inceſſerat lapidibus. *Plut. in Pompejo.*

Ex Aſpectu grato, jucundo.

☞ *Vide locum Honoris, Concurſus ad ſpectandum.*

Chorus, id eſt, matres Argivorum interfectorum ad Thebas partim lætantes, partim dolentes, quòd Theſei beneficio ipſis daretur copia aſpiciendi filios interfectos, dulce & triſte ſpectaculum, apud *Eurip. in Supp.* inquiunt:

Ἐμοὶ δὲ τέκνων εἰσιδεῖν μέλη,
Πικρόν· καλὸν θέαμα δ', εἴπερ ὄψομαι
Ταὶν ἄελπτον ἡμέραν,
Ἰδοῦσα πάντων μέγιστον ἄλγος.

Mihi verò filiorum quidem aſpicere membra acerbum: ſed pulchrum ſpectaculum tamen, ſi videam inſperatam diem, cernens omnium maximum dolorem.

Argivus quidam haud ignobilis, cætera ſanus, hac melancholiæ ſpecie laborabat:

Quòd ſe credebat miros audire tragœdos,
D *In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro.*

Orat. lib. 3. *Epiſt. ad Florum.*

Xerxes Perſarum rex in campis Abydenis univerſum luſtravit exercitum, ex alta ſpecula, ſuæ potentiæ ſpectaculum jucundiſſimum. Eo conſpecto, illacrymaſſe fertur, cauſamque rogatus, dixiſſe: Quòd nullus è tanta multitudine centum annos ſuperaturus eſſet. *Herod.*

Idem navali prælio ad Salaminem confligentibus inter ſe Perſis & Græcis, veluti de victoria jam certus, in edito promontorio conſtitit, & certamen ſecurus ſpectavit, tanta cum admiratione virtutis hoſtium, & deteſtatione ſuorum ignaviæ, ut nihil antiquius habuerit, quàm relicto in Græcia Mardonio, fugam in Aſiam arripere. *Herod.*

Scipio Æmilianus, Tribunus militum, ad Maſiniſſam regem venit, Luculli Imp. nomine ab eo elephantes poſtulaturus, eo ipſo tempore, quo Maſiniſſa cum Haſdrubale Carthaginenſium Imp. acie dimicaturus erat. Scipio concurſas acies intuitus, priùs quàm ſigna canerent, editiorem locum occupavit, ut commodiùs inde prælium ſpectaret. Ferunt poſtea dicere ſolitum, nullo unquam tempore ſe tantam ex quovis alio ſpeculo percepiſſe voluptatem, quàm quum ſupra centum millia hominum inter ſe pugnantium, ipſe omni ſolicitudine & cura liber, ex alta contemplatus eſſet ſpecula. Pugna à prima luce ad noctem diſtracta eſt, multis hinc inde cadentibus. Ad poſtremum rex aliquantò ſuperior acie exceſſit: cui in caſtra redeunti gratulabundus Scipio occurrit. *Sab. lib.* 8. *Enn.* 5. E

M. Craſſus, avus ejus qui contra Parthos occubuit, cùm aſinum carduos depaſcentem vidiſſet, eo ſpectaculo ſic delectatus fertur, ut qui nunquam aliàs in vita riſerat, tunc ſemel riſiſſe ſcribatur. *Plut.*

Ob Partum.

Quod de Latona poetæ, idem de quavis Matre, bonorum liberorum parente, efferri poteſt:

—— Χαῖρε δέ τε πότνια Λητώ
Οὕνεκα τοξοφόρον καὶ καρτερὸν υἱὸν ἔτικτεν.

Homer. hymno in Apollinem. Eundemque imitatus *Maro lib.* 1. *Æn.*

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Ob incolumitatem ſuam, vel ſuorum.

Græci ab expeditione Babylonica redeuntes, ſimulatque mare conſpexere, ingentes præ gaudio clamores extollere cœperunt, protentis in cœlum palmis, gratias diis agere, perinde ac jam ſuperatis deinceps periculis, in tuto ſalutem haberent: etſi ſupererant adhuc gentes ferociſſimæ, regiones aſperrimæ ſuperandæ. Tandem in urbe Calcedoniæ Chryſopolim recepti, tum primùm ſalutem in tuto conſtitutam habuerunt. Ex decem millibus incolumes ſuperfuerunt ad quatuor millia, qui jam prorsùs periculorum ſecuri, nulla deinceps iter repellente difficultate, plerique in patria loca conceſſere. *Diod. lib.* 14. F

Cambyſes Perſarum rex, cùm propter crudelitatem à Crœſo rege captivo reprehenderetur, quòdque patris veſtigiis non inſiſteret, arcu correpto eum confixiſſet, niſi fuga ſibi conſuluiſſet. Miniſtri, quibus interficiendi Crœſi poteſtas erat data, hominem abſconderunt, quòd deferveſcente ira Cambyſen facti pœnitere cœpit. Cambyſes lætus, quòd Crœſus adhuc ſupereſſet, miniſtros tamen propter inobedientiam morte affecit. *Herod. lib.* 3.

Epaminondas Thebanus rogatus, quid ſibi jucundiſſimum accidiſſet? reſpondit: Quòd viventibus adhuc patre & matre palmam Leuctricam retuliſſet. *Plut. an Seni tractanda reſp.* G

Ob Corporis curam.

Cùm eleganter copioſèque laudes Agricolarum vitæ perſequeretur *Horat.* & quot quantaque illic bona forent, oſtenderet, in iis etiam poſuit voluptatem, quam capiunt, cùm ab opere redeuntes, laboreque ac fame enecti, inveniunt domi à diligente uxore parata omnia, quibus & reficere vires, & deſideria naturæ ſatiare queant. Inquit igitur:

Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemptas apparet.

Addit etiam, majorem illis ſuavitatem afferre viles eas eſcas, quàm inertibus ac delicatis requiſitæ epulæ faciant. *Euripid.* quoque *in Electra* hoc tetigit, qui de voluptate hac potiùs animo comprehenſa, quàm uſu cognita, ita induxit ſummo loco natam, magnique animi virginem, cum viro illo ſuo loquentem:

—— Ταὶ δόμοις δ' ἡμᾶς χρεὼν
Ἐξαρτεπίζειν· εἰσιόντι δ' ἐργάτῃ
Θύραθεν ἡδὺ τἄνδον εὑρίσκειν καλῶς.

Nam quod Latinus poeta ſuprà dixerat:

Quòd ſi pudica mulier in partem juvet H
Domum atque dulces liberos:

Græcus quoque ante hæc verba eidem perſonæ affinxit. Illa enim quid ſui officii ſit oſtendens, inquit:

Δεῖ δή με κἀκέλευστον εἰς ὅσον σθένω
Μόχθου 'πικουφίζουσαν, ὡς ῥᾷον φέρῃς,
Συνεκκομίζειν σοι πόνους.

Hoc eſt, in partem juvare, unà ferre, ac partem aliquam laboris alieni in ſe ſuſcipere. *Victor. lib.* 11. *Var. lect. c.* 5.

Ob Auxilium bellicum.

Jul. II. PP. accepto læto nuncio de adventuris ſibi à rege Hiſpan. auxiliis ad bellum Ferrarienſe conficiendum, ita exhilaratus eſt, ut febris eum continuò reliquerit. *Bemb. lib.* 2. *hiſt. Venetæ.*

Bajazet. II. Turcorum Imp. Methonem Peloponneſi urbem acriter oppugnabat. Bernard. Contarenus Venetæ claſſis præfectus, commeatum tribus triremibus velociſſimis inferendum commiſerat. Oppidani navibus auxiliariis conſpectis, ut ea quæ afferebantur, celeriter in oppidum aſportarent, læti ad portum convolaverunt: tantaque fuit ejus

rei

A rei cura, ut iis etiam, qui muros alia ex oppidi parte contra hoſtium exercitum ſervabant, cum feſtinari ab aliis viderent, eòdem & ipſi accurrerent, ſtationeſque relinquerent ſic, ut murus defenſoribus ſpoliaretur. Id ubi hoſtes conſpexerunt, per ruinas murorum, quas tormenta fecerant, ſe in oppidum intulerunt. Oppidani & milites præſidio & commeatu jam è navibus abducto, ea de re certiores facti, hoſtibus medio in oppido occurrerunt, atque ibi prælio acerrimè commiſſo, cùm diu fortiterque pugnaviſſent, ac magnum eorum numerum occidiſſent, demùm creſcente hoſtium multitudine, plenis jam omnibus & obſeſſis viis, circumſepti undique ac preſſi, propè omnes interfecti ſunt, unà cum præfectis naviū, qui tunc venerant, duobus, remigibuſque permultis. Ex municipibus ii qui ſuperfuerant, omni ex parte oppidum incenderunt, ſuaque omnia & ſuos comburere voluerunt. Ita oppidum ardens ac ſemicombuſtum capitur, cùm quidem Veneti multùm in noctem ſe defendiſſent. *Bemb. lib.* 5. *Hiſtoria Veneta.*

Ob Nuptias.

B In feſtis publicis Romæ Viduæ nubere poterant, virgines non item: quoniam hæ mœſtæ, illæ lætæ nubunt. *Plut. in quæſt. Rom.*

Ob Deorum favorem.

Socrates, qui ſecum exiſtimabat dæmonium ex benevolentia colloqui: Pindarus, cùm audiret à Pane cantilenam quandam ex iis, quarum fuerat ipſe conditor, cani, neutiquam modico gaudio elatus eſt. Ita cùm Caſtores Formio, aut Sophocles Æſculapium hoſpitio excipere, & ipſe credidit, & alii item putarunt, hac ipſa Deorum familiaritate vehementer ſunt gaviſi. *Plut. contra Epicurum.*

Ob Victoriam nunciatam, vel adeptam.

Bethulienſes incredibili gaudio affecti ſunt, quando Judith reducem cum Holofernis capite conſpexerunt, & Deo unanimi voce gratias egerunt. *Judith.* 13.

Vetuſto apud Græcos more receptum eſt, ut ſi quid fauſtè & feliciter nuncii adferrent, coronati adventarent: ipſique cives felici accepto nuncio, in communis ſignum lætitiæ coro-
C nati incederent ovantes. *Alex. ab Alex. lib.* 1. *c.* 27.

Perinthii Pæonibus ad Strymonem fl. congreſſi ſingulari certamine, viri cum viro, equi cum equo, canis cum cane, duobus certaminibus Pæonas ſuperarunt, præque gaudio Pæana canentes, à Pæonibus ex inſperato irruentibus victi fuerunt. *Herod. lib.* 5.

Poſt Xerxis expeditionem contra Græcos ſuſceptam, primus nuncius Suſa perlatus, Xerxem Athenis potitum eſſe, tanta Perſas, qui relicti erant, voluptate affecit, ut omnes vias myrto conſtraverint, & per eas odores incenderint, & ipſi in ſacrificiis ac gaudiis verſarentur. Secundus autem ita eos conſternavit, ut univerſi veſtes dilaniarent, vociferationeque & ejulatu irrequieto uterentur, culpam in Mardonium refundentes, non tam de claſſe, quàm de ipſo Xerxe ſoliciti: idque tandiu, dum Xerxes illos ira affectos redeundo ſedavit. *Herod. lib.* 8.

Epaminondas Thebanus ex omnibus præclarè geſtis illud ſibi jucundiſſimum accidiſſe dicebat, quòd utroque parente vivo, Leuctrica pugna viciſſet Lacedæmonios. *Plut. in Græcorum Apoph.*

D Dionysius tyrannus nuncio accepto, quòd Athenis Bacchanalium feſto tragœdia edita viciſſet, ſacra diis gratulatoria fecit. *Diod. lib.* 15.

Cùm de Conſulum victoria ad Metaurum contra Haſdrubalem Romam allatus eſſet nuncius, primò id magis auribus quàm animis acceptum, ut quiddam majus ac lætius, quàm ſatis credi poſſet. Secutæ inde L. Manlii Acidini literæ, qui ex eiſdem caſtris id idem ſcribebat. Ad quem nuncium tantus concurſus eſt in curiam factus, ut tabellarius cum literis ad Patres ingredi non poſſet, clamante multitudine, ut literæ publicè recitarentur. Secuti inde legati, quibus continenti agmine ab urbe ad Milvium pontem præ nimia lætitia eſt Civitas obviam effuſa. Tum literæ ſunt in ſenatu recitatæ, inde & in foro concione populi. Unde ab aliis in alia eſt templa diſcurſum, ut diis gratularentur. Multi domum ad liberos & conjuges cum lætitia reverſi, publicum gaudium nunciarunt. Supplicatio in triduum decreta. Vix credi poſſit, quantùm ea victoria mutatus ſit civitatis ſtatus, velut jam debellatum in Italia eſſet: vendendo, emendo, mutuum dando, creditum ſolvendo, non aliter quàm ſi omnia pacata eſſent, cives inter ſe negotia contrahere cœperunt. *Sabell. lib.* 4. *Enn.* 5. E

Nuncius everſæ Carthaginis Romam perlatus, incredibili lætitia extulit civitatem. Mutuæ primò gratulationes inter ordines fuere, inde læta inter cives convivia inſtaurare perfecerunt, ſupplicatum circa deorum aras, actæque ipſis gratiæ, quòd urbs nata ad odia in Romanorum nomen exercenda, extremo eſſet excidio deleta. *Sabell. lib.* 9. *Enn.* 5.

Ventidius M. Antonii legatus Parthos adortus, Labieno & Phraate cadentibus, magno prælio ſuperavit. Cujus victoriæ nuncius Athenas delatus, Antonium in tantam lætitiam extulit, ut Græcis epulum dederit, ludoſque tota urbe celebrari juſſerit: ipſe, poſitis magiſtratus inſignibus, cum adoleſcentibus ſaltaverit. *Sabell. lib.* 9. *Enn.* 6.

Joannes XVIII. Aragonum rex in gravi illa Barcinonenſium & Gothalanorum rebellione, cùm Ferdinandum F. ephebum magno prælio Petrum Luſitanum, quem illi regem dixerant, ſuperaſſe cognoviſſet, præ gaudio viſum, quem amiſerat, recepit. *Marul. lib.* 14. *rer. Hiſp.*

Gatta Mellita Venetarum copiarum ductor cum Nic. Picinico Philippi Vicecomitis ductore ad Coloniam conflixerat F æquo marte, propè Brixiam. Ad confirmandos civium animos, rumores tota urbe magiſtratus diſſipandos curarunt, fudiſſe Mellitam hoſtium copias. Quæ fama haud intra Brixiæ mœnia ſe tenuit. Venetias uſque perlata, in tam effuſam lætitiam civitatem provexit, ut præ nimio gaudio undique ſit in publicum concurſum: atque ob hoc ipſum reſpub. inſuetum diſcrimen penè adierit. Multitudo ingens remigum ſociorumque navalium in urbe erat, ex Hiſtria & Dalmatia ob claſſem, quæ ſtudio inſtruebatur, accerſita. Horum non pauci quum vino caluiſſent, in pubilcum prorupere: atque ignibus non uno loco (ut in nova fit lætitia) accenſis, dum ad eos alendos materiam ex proximo ſibi quærerent, cepiſſentque olitorias panitiaſque tabernas foro circumjectas demoliri, pulſis nocturnis cuſtodibus, qui id facere prohibebant, in unum ad tria millia coivere: ii ſpretis magiſtratibus, & ex primoribus Patrum quibuſdam, qui ad eum tumultum ſedandum acceſſerant, majores tabernas refringere occeperunt. Et jam res ad apertam vim ſpectare credebatur, quum Petri Lauretani claſſis præfecti interventu impetus ille compreſſus eſt. Cujus nomine audito, ferunt Barbaros tumultuari deſiiſſe, cœpiſſeque im- G perium, quod dudum neglexerant, audire: ac fide ab illo accepta, ne cui id fraudi eſſet, quòd nocturnus ille motus levi de cauſa ortus eſſet, ſe domum recepere. *Sabell. lib.* 3. *Dec.* 3.

Ex Hoſtium oppreſſione, morte, calamitate, reconciliatione.

Chorus Silenorum captivus apud Cyclopem, ad Ulyſſem conſilium ſuum de excæcando Polyphemo explicantem, ſic inquiunt, apud *Eurip. in Cyclope:* Aſiaticæ non libentiùs ſtrepitum citharæ audiremus, quàm Cyclopa pereuntem.

Artaxerxes Perſarum Rex Themiſtoclem exulem, qui ad ſe perfugerat, ſumma humanitate excepit, & apud amicos ſibi ipſi gratulatus eſt, de fortuna adeò ſecunda diis ſacrificavit, mox convivium iniit, ac præ gaudio nocte in ſomno medio ter exclamavit: Themiſtoclem habeo Athenienſem. *Plut. in Themiſtocl.*

Henrico IV. Imp. Leodii mortuo, omnes omnium ordinum ſummo gaudio exultarunt, quòd morte ejus videretur diuturno ſchiſmati jam finis impoſitus. *Crant. lib.* 5. *Saxon. cap.* 24. H

Magnus Sfortia audiens Paulum Urſinum inſignem ducem ad callem Floridum à Braccio Montonenſi interfectum, ſublata voce geſtiens, dixit: Ergo & mihi inſonti dii immortales maturè catenas ſolvent (in vinculis autem Neapoli detinebatur) qui uti æquiſſimi judices impio ac omnium teterrimo dignum vitæ exitum celeriter attulerunt. *Jovius in ejus vita.*

Horucius Barbarussa pirata inſignis, cùm Tremiſenii regem, amicum ſociumque à Carolo V. Imp. appellatum, regno expuliſſet, immineretque Orano, portuique magno: ab Hiſpanis Mauriſque equitibus interfectus eſt. Ejus caput in Hiſpaniam tranſmiſſum, circumlatumque in lancea, populis præſertim maritimis, inſignem attulit lætitiam, quòd ſublato prædonum rege, diu exoptata ſecuritas litoribus reddita videretur. *Jovius lib.* 34. *hiſt.*

A

PRIVATIO GAUDII. GAUDIUM NULLUM.

Qui Non Gaudent Ob Quæ
Alii gaudent.

Alexander Magnus etiamnum puer, ſi allatum eſſet, aut nobilem urbem à Philippo captam, aut illum inſigni potitum victoria: non uſque adeò gaudebat iis nunciis, verùm ad æquales dicebat: Omnia præripiet, ſodales, pater, neque ullum mihi inſignem & illuſtrem relinquet vobiſcum perpetrandum actum. *Plut. in Alex.*

Braccius Monronenſis audita morte Sfortiæ Magni Aterno amne propè Aquilam urbem ſubmerſi, licèt æmuli & hoſtis acerrimi, minimè tamen lætaus eſt, ſed in laudes illius prorumpens, ſibi quoque nunc tandem fata inſtare dixit, ex præſagio Aſtrologorum. Quinto pòſt menſe in obſidione Aquilæ cæſus eſt. *Iovius in Sfortia.*

ΕΠΙΧΑΙΡΑΓΑΘΙΑ.
GAUDIUM EX REBUS
Aliorum ſecundis.

Ægynenſium, qui ad bellum Trojanum profecti fuerant, multi perierant in pugna, plures tempeſtates abſorpſerat. Pau-
B
cos igitur, qui domum incolumes redierunt, quum recepiſſent cognati, videntes reliquos cives ob deſiderium ſuorum in luctu ac mœrore verſari, non arbitrati ſunt convenire, ut vel palàm lætitiam ſuam declararent, vel diis ob illorũ ſalutem rem divinam facerent: ſed ſuos quiſque, quos incolumes receperant, domi clàm conviviis & gratulationibus excipiebant, ipſi miniſtrantes patribus, cognatis, fratribus, ac neceſſariis, neminem alienum admittentes. Hoc imitantes Æginetæ, quum Neptuno ſacrificant, dies ſexdecim geſtantes thyaſos, quos vocant, clàm apud ſeſe convivia celebrant, neque ſervorum quiſquam adeſſe ſinitur: mox Veneri ſacrificantes feſtum ſolvunt. Itaque qui ſacrificant, μονοφάγοι dicebantur. *Eraſm. in Adag. ex Plut. q. Græcan.*

ΕΠΙΧΑΙΡΕΚΑΚΙΑ.
GAUDIUM OB ALIENA
Infortunia. Utputa
PRINCIPUM.

Conſule Tit. Tyrannorum, quorum morte tam lætantur ſubditi quàm vita & incolumitate triſtantur.

Morte Tiberii Cæſ. ita lætatus eſt Populus Romanus, ut ad
G
primum nuncium diſcurrentes, pars Tyberium in Tyberim clamitarent, pars terram matrem, deoſque Manes orarent, ne mortuo ſedem ullam niſi inter impios darent: alii uncum & gemonias cadaveri minarentur, exacerbati ſuper memoriam priſtinæ crudelitatis etiam recenti atrocitate. Nam cùm Senatuſconſultum actum eſſet, ut pœna damnatorum in decimum ſemper diem differretur, fortè accidit, ut quorundam ſupplicii dies is eſſet, quo nunciatum de Tyberio erat. Hos implorantes hominum finem, quia abſente adhuc Caligula nemo extabat, qui adiri interpellarique poſſet, cuſtodes, ne quid adversùs conſtitutum facerent, ſtrangulaverunt, abjeceruntque in Gemonias. Crevit igitur invidia, quaſi, etiam poſt mortem tyranni, ſævitia permanente. Corpus ut moveri à Miſeno cœpit, conclamantibus pleriſque, Atellam potiùs deferendum, & in Amphitheatro ſemiuſtulandum: Romam per milites deportatum eſt, crematumque publico funere. *Svet.*

Cajo Cæſare interfecto à conjuratis, cæde illius in theatro (ſpectabat enim populus Circenſes ludos) nunciata, præ inopino gaudio, multi credere nolebant, & ſe audiviſſe diſſi-
D
mulabant, ne ſi rumor falſus fuiſſet, ipſi pœnas ob gaudium darent. *Ioſephus lib.19. cap.1. Antiq. Zon. Svet.*

Nero obiit xxxii. ætatis anno, die quo quondam Octavium interemerat; tantumque gaudium publicè præbuit, ut Plebs pileata tota urbe diſcurreret, nimirùm hoc indicio additam ſibi libertatem ſignificans. *Svet. in Nerone.*

Domitiano Imperator occiſo, Senatus adeò lætatus eſt, ut repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo atque acerbiſſimo acclamationum genere laceraret: ſed ſcalas etiam inferri, clypeoſque & imagines ejus laceras detrahi, & ibidem ſolo affligi juberet: noviſſimè eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. *Svet.*

Conſtante II. Imperatore in Sicilia interfecto, tota Italia, adjacenteſque provinciæ, extulerunt animos lætitia, adeò ut Italiæ exarchus, & copiarum duces, nullum in publico gaudio auſi ſint triſtitiæ ſignum oſtendere. Tanto illum odio perſequebantur ob Romam ſpoliatam, & tributum ab Italia exactum. *Cuſpin.*

Cognita morte Gulielmi Ruffi, Anglorum regis avariſſimi, gaudium ingens eſt ubique ortum, ſic ut Populus velut carce-
E
re eductus, aut vinculis ſolutus, renaſcente jam libertate, frequens ad templa adire, & vota Deo ſolvere, quæ antea pro libertate feciſſet, perinde feſtinaret: ac ſi ille dies, qui regis vitæ extremus fuit, ſempiternam patriæ ſalutem peperiſſet. *Polyd. lib.10.*

HOSTIUM.

Athenienſes nunciata Philippi regis morte, illicò diis honorem habuerunt, & Pauſaniæ interfectori coronam decrevere. *Plut. in Demoſt.*

C. Martio Coriolano perpetui exilii pœna damnato, pronunciata ſententia, qua damnatus eſt, nulla unquam cæſis hoſtibus tantos fecerat populo ſpiritus victoria, quantùm tunc exultans & ovans diſceſſit. At ſenatum merus angor mœrorque tenuit dolentem & ingemiſcentem, quòd non omnem lapidem priùs moviſſent, quàm tantam contumeliam & licentiam perpeſſi eſſent populi. *Plut. in Cor.*

Cæſo ab Helvetiis ad Nancium Carolo Burgundo, Ludovicus XI. Francorum rex, qui ejus tollendi cauſa bellicoſiſſimam
F
gentem contra ipſum incitaverat, graviſſimo adverſario liberatus, quo vivo de regno ſuo benè ſperare non poterat, primo nuntio, ut lætiſſimo, centum quinquaginta pondo argenti in abacum facti euangelii ergo dari juſſit. *Æmil. lib.10.*

Leo X. Pontif. max. tantum ex morte Selimi Turcorum Imp. concepit gaudii, quantum triſtitiæ paulò ante audito Sultani Memphitici excidio acceperat. Nam eo interitu nunciato, Litanias ac ſupplicationes publicas, in quibus homines nudatis pedibus incederent, Romæ haberi curaverat: legatoſque per totam Europam miſerat, qui id efficerent, ut Chriſtiani in unum coeuntes, contra Chriſtianorum omnium hoſtem acerrimum Selimum, à quo Sultanorum regnum florentiſſimum everſum fuerat, arma ſumerent. *Iovius in Solymano.*

PRIVIGNORUM.

M. Tull. Cicero, repudiata Terentia, virginem locupletiſſimam jam grandis natu in uxorem duxerat. Non multò poſt has nuptias, cum Tulliola Dolabellæ nupta ex partu deceſſiſſet, & nova nupta morte ejus videretur exultaſſe, eam repudiat. *Plut. in Cicer.* G

---

* Gaza. Gazophylacia.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

GAza, Perſarum vox eſt, vel etiã Medorum, ſatis nota, ſignificans, ut docent *Pomponius Mela*, *Q. Curtius*, *Servius* Virgilii interpres, opes, ſupellectilem, & omne quod poſſidemus; potiſſimùm tamen locum, ipſum ubi ea aſſervantur. Fuit autem & nomen urbis Ægypti, quam Alexander M. ſolo æquavit, & nova hoc nomine exſtructa fuit in Palæſtina.

Græci autem vocant Gazophylacium Γαζοφυλακεῖον, ipſum locum qui ſervat, & continet theſauros, eaque voce Scriptura quoque utitur.

Hebraicè *Corban*, ſive *Corbonach*. Quamvis aliquando Gazophylacium uſurpetur pro domo, ſive atrio, in quo minora Gazophylacia ſervantur: ut in quibus ſupellex ſacra, veſtimenta, ornatus templorum ac oblata cuſtodiuntur. H

USUS APUD HEBRÆOS VEL.

Olim in templo veteri erant duo Gazophylacia, ſive loca in quibus theſauri templi cuſtodiebantur: Alter, in quo pecuniæ uſibus templi oblatæ reponebantur: Alter, in quem res aliæ mole majores conjiciebantur. Prior quidem arca erat, ad eum modum, prout nunc in Eccleſiis exponi videmus. Poſterior atrium quoddam ſervandæ majori ſupellectili, aut aliis templi oblatis accommodatum. Meminit *Marcus cap.12. Ioan. cap.8.* juxta quoſdam, poſterioris, quaſi viduæ illi offerenti minuta duo, licitum fuerit atrium majus, in quo minora erant Gazophylacia, intrare. Erat namque exterius prope januas, & alio nomine Exedra appellatur, de quo infra.

APUD ETHNICOS.

Scribit *Athen. lib.6.* apud Lacedæmonios fuiſſe in templo Apollinis ærarium.

Fuit

A Fuit etiam in æde Saturni apud Romanos, ut videre eſt apud *Plut. in Problem.*

In Ægypto erat Gazophylacium in ipſo palatio, ut conſtat *Gen.47.* & de Eunucho illo, quem Philippus baptizavit, Lucas inquit, quòd fuerit ſuper omnes gazas Candacis Reginæ Æthiopum.

NOMINA VARIA UNDE SUMPTA?

Diximus, duo fuiſſe in veteri Templo Gazophylacia, unum altero potius & majus, in quod res majoris momenti ad reficienda ædificia templi, & ſancta ſanctorum, omniſque theſaurus ſanctorum, ut loquitur Scriptura 4. *Reg. cap.* 12. qui à prætereuntibus in templum Domini, fuerat illatus, quique offerebatur pro pretio animæ, nempè quando numerabatur populus, ut ſcirentur idonei ad bellum: à vigeſimo enim anno & ſuprà, offerebatur dimidius ſiclus, ut conſtat *Exod.* 30. Fuiſſe autem plura Gazophylacia ejuſdem quidem generis, ſed appellatione diverſa, conſtat ex *cap.*35. *Ierem.* ubi ſic legimus: Et introduces eos in domum Domini, in unam exedram theſaurorum; & dabis eis bibere vinum, & introduces eos in domum Domini ad Gazophylacium filiorum Hanan, quod erat
B
juxta Gazophylacium Principum, ſuper theſaurum Maaſiæ filii Sellum, qui erat cuſtos veſtibuli.

Itaque habebant Exedræ ſive Gazophylacia nomina ſua, vel ab iis quibus tradebantur cuſtodienda, ut Gazophylacium Hanan: vel ab iis, quorum donaria ibi ſervabantur, ut Gazophylacium Principum: unde etiam conſtat, quòd cum Chriſtus *Ioan.8.* dicitur ſediſſe in Gazophylacio, & docuiſſe, intelligi exedram ſive atrium templo adjunctum, ex quo Chriſtus docuerit. Eſt autem Exedra locus, ſive cubiculum columnis fultum, & epiſtyliis pluribus, exciſis ſpatiis, quibus in viam profectus pateat. Horum formam aliquam videntur referre antiquiora templorum ædificia apud Chriſtianos, ad quorum ingreſſus, ſimiles atriorum fornices conſpiciuntur, in quibus Æditui & Fabricæ rectores oblata recondunt, ſacramque ſupellectilem ſervant.

---

* Gehenna.

VOCIS SIGNIFICATIO ET USUS.

C

GEhenna deducitur à vocibus Gehennom, id eſt, vallis Hennon, & uſurpatur à Chriſto *Matt. cap.5.* pro inferno. Ratio verò hujus appellationis eſt, crudelitas & inhumanitas quæ in illa valle exercebatur ab Ethnicis, & pleriſque Judæis ad Ethniciſmum converſis, ad ſimilitudinem illius crudelitatis, quam in ſacrificiis Moloch patrabant, loco dicto Tophet, à *Toph*, quod tympanum ſignificat. Ne eorum qui idolo Moloch immolabatur, gemitus & ejulatus à parentibus aut amicis perciperetur, ſacrificuli idolorum pulſabant Toph, id eſt, tympanum, ab eoque nomen loco Tophet indiderunt.

QUÆ IBI FACTA.

Crudelitatem quæ in Gehenna fieri conſuevit, deſcribunt ex Hebræis *Lyranus*, *Abulenſis*, *A Caſtro*, & alii recentiores; pro quo notandum, Moloch fuiſſe Baal Deum Ammonitarum, cui Judæi non tantùm ſemen humanum per mollitiem & idololatriam, ſed etiam filios & filias ſummum parricidium ſacrificabant, & conſecrabant, igne eos vivos comburendo. Conſtat hoc ex *hiſt. Reg. lib.4. cap.23.* ubi Joſias edi-
D
xit, ut nemo conſecraret filium ſuum aut filiam per ignem idolo Moloch; & intelligitur de eodem locutus regius Pſaltes, ita dicens: Et immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis. *Pſal.105.*

Erat autem Moloch idolum ſtatua concava, manus habens latas, quibus puer immolandus imponebatur, qui igne ſtatuæ intrinſecùs injecto comburebatur: ſive, ut alii, traducebatur per ignem in brachia Moloch, ut in illius velut amplexu crematur. Eoque ſacrificio ita peracto, exiſtimabant puerum ociùs ad cœlum rapi. Subindè tamen pueros ſuos non ſacrificabant, ſed tantùm initiandos offerebant; tunc enim per medium duarum pyrarum eos ad idolum dumtaxat adigebant. *Vide Plut. de Superſtitione.*

Itaque à ſimilitudine cruciatus & crudelitatis, infernus nominatur à Chriſto, Gehenna ignis.

Cæterùm Gentiles filios ſuos idolis immolaſſe, Poetarum commentis, aliiſque hiſtoriis traditur. Sunt qui opinantur Moloch fuiſſe Saturnum illum Poeticum, cui affinxerunt, quòd filios ſuos devoraret; cujus crudelitati Jupiter exemptus fuit per crepitantium vaſorum ſonum, quem Corybantes ingeminabant. Quin Phænices, & ex iis orti Carthagi- E
nenſes, Saturno immolaſſe leguntur filios etiam nobiliores, in magna calamitate, ut docet *Philo lib.1. hiſt. Phœnic. Curt. lib.4.* Unde Imilce uxor Hannibalis ita locuta inducitur apud *Silium Ital.* cum Aſper filius eſſet mactandus, *lib.4. Punicor.*

Meme, quæ genui, veſtris abſumite votis.

Teſtatur *Feſtus* apud *Lactantium lib.1. de falſ. Relig. c.21.* eoſdem Carthaginenſes, poſtquam ab iis ſacrificiis, quibus infantes nobiliores, quos ſors deſignabat, regio cultu ornatos immolabant Saturno, deſciviſſent, & poſtmodùm ab Agatocle ſuperati bello eſſent, arbitrantes iratos Deos ob intermiſſas victimas, ducentos nobilium filios mactaſſe, & Saturno immolaſſe.

Quomodo ſuperiori ſæculo, Mexicani quotannis dæmoni immolabant hominum millia; & in urbe Mechoacam, dæmon poſtulabat quotannis ſibi offerri quidquid erat chariſſimum civibus, ſive ſponſam, ſive filiam chariſſimam, aut puerum ſpecioſum.

Imò Galli olim ad Kalendas Maji, tres Juvenes immolare conſueverant, quos hoc fine emerant, & toto anno ſaginaverant. *Robert. Guagnin. lib.19. hiſt. Franc.* F

Gelu.

☞ *Quære Glacies. Hyems.*

Geloſia.

☞ *Vide Zelotypia.*

Gemini ſignum Cœleſte.

☞ *Quære Zodiacus.*

---

* Gemini ſive Gemelli.

QUI PEPERERINT.

Ex S. Scriptura.

THamar ex inceſtuoſo concubitu cum ſocero ſuo Juda concepit in utero gemellos; de quo ita Scriptura *Gen.38.* Inſtante autem partu apparuerunt in utero gemelli, atque in ipſa effuſione infantium, unus protulit manum, in quo obſte- G
trix ligavit coccinum, dicens: Iſte egredietur prior. Quo retrahente manum, egreſſus eſt alter, dixitque mulier, Quare diviſa eſt propter te maceria? hoc eſt, cur ruptis ſecundinis fratrem tuum antevertis, ut prior egredereris? & ob hoc vocavit nomen ejus Pharez, id eſt, ruptura, eo quòd, ait S. Hieron. diviſerit membranam ſecundinarum: Hinc Phariſæi, quaſi diviſi & disjuncti ab aliis. Poſtea egreſſus eſt frater ejus, in cujus manu erat coccinum, quem appellavit Zara, id eſt, Oriens, ſive quia primus apparuit, ſive quòd plurimi juſti ex eo ſint nati. 1. *Paral. c.2. Gen.38.*

Rabbini, & ex iis *Ioannes Calvinus*, autumant, Hevam peperiſſe Cain & Abel unico partu, adeòque fuiſſe gemellos, atque hoc initio mundi fuiſſe uſitatum, ut tantò citiùs humanum genus multiplicaretur: colligunt id ex eo, quòd *Gen. c.4.* dicatur de Heva, quòd poſtquam peperit Cain, ſtatim ſubjiciatur peperiſſe Abel, non præmittendo conceptionem illius: cæterùm infirmum eſt illud fundamentum, neque ab ullis probatis ſcriptoribus aſſeritur.

Poſtquam Iſaac an. 20. juxta *B. Chryſoſtomum*, deprecatus fuit Domino pro ſterilitate Rebeccæ uxoris ſuæ, tan- H
dem concepit gemellos, qui collidebantur, ait Scriptura *Gen.24.* in utero illius, hoc eſt, ſe mutuò concutiebant, uter prior exiret ex utero. Hinc Jacob plantam Eſau tenebat manu, quaſi eum volens ſupplantare, ne prior egrederetur. *Ita Rupert.*

EXEMPLA PROFANA.

Sunt abſque numero.

Meminerunt Poetæ Caſtoris & Pollucis filiorum unico partu editorum ex Leda & Jove, qui & Tyndaridæ vocantur à Tyndaro Rege Oebaliæ, marito Ledæ.

Narrat *Livius*, Romulum & Remum natos ex Rhea geminos.

Meminit *Euriſthinis & Proclis* geminorum, quos edidit Ægina Regina Spartiatarum, uxor Ariſtodemi, *Herodot. lib.6.*

EORUMDEM PRIMOGENITURA
Quomodo Investiganda?

Communis eſt ſententia, cenſeri primogenitum quoad jura ſucceſſionis & feudorum, illum qui primus è geminis utero

egredi-

A egreditur, quomodo accidit in Eſau, non obſtante quòd Jacob ejus plantam manu teneret.

Si tamen ſit maſculus & fœmina, ignoreturque, quis primo loco in lucem editus fuerit, cenſet *Vlpianus in l. ſi fuerit legatum* 10. §. *f. de reb. dub.* præſumptionem eſſe pro maſculo, quòd prior ſit editus.

Conſultum fertur nonnunquam oraculum Delphicum à Lacedæmoniis, ſuper geminis Æginæ, quorum paulò antè mentionem fecimus, uter deberet ſuccedere, quòd pariter ex utero forent exſecti: & judicatum pro illo, quem mater impenſiùs amaret, & cui primùm lac & cibum præberet, non fortuitò, ſed ordinariè. *Tholoſ. de Rep. lib.7.c.5.*

---

* Gemmæ.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

GEmmarum materia communis eſt aqua non pura: ſunt enim vitra naturæ producta, cui aquæ eſt immixtum ſubtile. *Albert. Magn. 1. de Miner. extract. 1. c. 3.* Gemma,
B omnis lapis pretioſus dicitur, ſive pellucidus, ſive obſcurus Græcè *λίθος τίμιος*. Hebr. *Eben. Iſckarah.* id eſt lapis politus vel eximius, à *Kara*, vocavit, vel nominatus fuit, & inclytus: vel à *Karah*, politus fuit, ut glaber & calvus. Volunt, gemmam dici à geno, id eſt, gigno, quod in gemmis arborum locum habet, quas pupulas vocamus.

SCRIPTORES.

Scripſit de gemmarum natura, viribus, differentiis, præſtantia, *Andr. Baccius Elpidian. poſt Mercurium Triſmegiſtum, Plinium, Galenum, Dioſcoridem, Theophraſtum, Cardanum,* & alios. Habet etiam curioſa quædam *F. Petrarcha Dia.* 37. 38. 39. *&c.*

NATURA. ORIGO. DIFFERENTIÆ.

Gemmarum naturam & originem varii variè tradiderunt. Exiſtimarunt enim plerique eas animatas: quorum opinionem recentiores erroris arguunt. Neque enim gemmæ nutriuntur; quod tamen omnibus animatis convenire, *Ariſtoteles* affirmat *l.1. 1. magnorum moral. cap.* 5. Igitur gemmarum origo & differentiæ ac effectus varii, ſtellis ac cœlo tribuuntur. Cœlum enim, ait *Danthes Aligerius*, quod tot lumina præ-
C clarè exornant, à mente profunda, quæ ipſum movet, imaginem accipit, diverſaſque virtutes rebus imprimit, prout diverſa ſeſe obtulerit conſtellatio. Eſt enim materia gemmarum puriſſima, earumque operationes à forma prodire, certiſſimum eſt. Atque ut earumdem perfectio naſcitur ex debita materię diſpoſitione & digeſtione: ita etiam quodlibet vitium, omniſque defectus, ex ejuſdem naſcitur indiſpoſitione, accedente quoque elementorum alteratione, quæ facit, ut res generandæ, plus minuſve ad cœli impreſſiones recipiendas ſint habiles. Pro diſpoſitione itaque materiæ, formam perfectam aut imperfectam accipiunt, proprietatibuſque variantur.

Gemmarum differentias communiter deſumunt, vel à quantitate, vel à nitore, vel denique à colore: addunt alii, effectus & vires: alii duritiem & mollitiem, ut à lima comminui non valeant. Potiſſimùm tamen differentiæ gemmarum ſumuntur à colore & nitore.

Nitoris differentias enumerat *Cardanus* quinque, ſuntque rutilans, ut Adamas: nitens, ut Saphyrus: languida, ut Carneolus: Inæqualis, ut Jaſpis: obſcura, ut lapis Fulmineus.

Colorum differentias ſeptem recenſet, album, flavum, ru-
D beum, viridem, cæruleum, vinoſum, & nigrum. Niger in quadam Achatis ſpecie invenitur: vinoſus in Amethyſto: cæruleus in Saphyro: viridis in Smaragdo: ruber in Carbunculo: flavus in Chryſolitho: albus in Chryſtallo. Cæteri autem colores ad hos deducuntur.

VIRES.

Gemmis varias à natura vires inditas, experientia teſte docemur: idque pro diverſo cœli adſpectu & poſitione. Siquidem Magnes ferrum trahit, quo tamen affectu eum privari volunt, dum Adamanti opponitur. Achates & Jaſpis ſanguinem ſiſtit: ebrietati reſiſtit Amethyſtus, peſti Carbunculus: ſomnum conciliat Hyacinthus. Ad hæc gemmis attribuunt, ſanitatem, ingenium, gaudium, ac ſimiles animi affectus, *Cardanus, Albert. Magn. Franc. Rubeus*, & alii paſſim. Quin alię viſum corroborant, aliæ continentiam augent, ſobrietatem adducunt, venenis negromantiæ reſiſtunt, morbiſque variis medentur, partum facilem reddunt, abortum cohibent, &c.

LOCUS, ACQUISITIO. ET PRETIUM.

Acquiruntur & inveniuntur gemmæ, vel ſua ſponte nudæ, vel ex locis arenoſis eruuntur, vel è montibus effodiuntur. Quædam etiam è profundo mari evomuntur, & nonnullæ E
in corporibus avium & reptilium procreantur. Quomodo Eperianus, procreatur in capite piſcis hujuſcemodi nominis, quem *Camillus Leonard.* deſcribit. Sic & Chelidonii, in ventre pullorum hirundinum inveniuntur: Cochleas, è capite limacis extrahitur: Myexis, è capite bufonis extrahitur, qui lippitudini & debilitati oculorum confert plurimùm. Aliæ gemmæ alium à natura locum, ubi generentur, habent. Flumina quoque nonnulla gemmas producunt & deferunt, eaque nominat *Alex. ab Alex.* Aoſim, Materem, & Gangem, *lib.4.c.ult. Genial. dier.*

☞ *Vide Tit. de Loco.*

Pretia gemmarum inſtabilia ſunt, & ab hominum opinione pendent: eaque deſumuntur à duritie, colore, & nitore. Tempore Romanorum, Achates habebatur lapis omnium pretioſiſſimus, & memoratur eum tunc præ aliis excellentiorem habuiſſe Pyrrhum, qui cum Romanis bellum geſſit.

POLYCRATES Samiorum tyrannus habuit Sardonychen maximi pretii, annulo incluſum, quem in mare projectum, eò quòd nihil triſte ei unquam accidiſſet, piſcis qui annulum ore F
exceperat, captus, menſæque illius illatus, retulit. Quam gemmam vult *Petrarcha* multis poſt ſæculis ab Auguſto Cæſare coemptam, aureæque inſertam, Concordiæ templo dedicatam fuiſſe. *F. Petrarcha Dial.36.*

NONIUS Romanus Senator vir locuples, gemmam habuit viginti millibus nummorum æſtimatam: Gemmæque nomen perhibetur Opalus. Mittit eum India, colorum varietate præfulgidum.

CLEOPATRA Ægypti Regina Antonio III. Antonii filio, in calice propinavit gemmas duas, arte chymica liquefactas, æſtimatas 50. millibus ſeſtertium.

In theſauris Regum & Principum maximi pretii gemmæ ſunt, & in pretio habentur, ſic ut provinciæ integræ aliquando iis cedant, & regna. Vocat eam æſtimationem & meritò, *Petrarcha*, periculoſam vanitatem, divitemque inſaniam.

USUS VARIUS.

In Antidotis, & Medicina. G

Gemmarum uſum in Antidotis, veteribus fuiſſe, *Menardus* & cum eo plures negant. Sed contrarium verius eſt: Siquidem *Dioſcorides, Galenus, Paulus*, aliique celebratiſſimi nominis Medici, eas potas, ſcorpionum ictibus opitulari ſcribunt: item inteſtinis exulceratis, variiſque corporis adfectibus, multiſque venenis. Legatur *Serapio l. de mineralib. c.384. Averroes 5. collig. & Avenzoar c. de dyſenteria.* Et tota Arabum cohors ad ſimiles effectus adhibet.

In veſtibus ſacris.

In lege veteri Moyſes à Deo juſſus eſt Aaronis ſummi ſacerdotis veſtem exornare gemmis XII. quæ à pectore quaſi ſupra cor ad veſtimenti uſque extremitatem propendebant, & in quatuor ordines diſtinguebantur: In quorum primo erat Sardius, Topaſius, Smaragdus: in medio Carbunculus, Saphyrus, & Jaſpis: in tertio Lyncurius, Achates, & Amethyſtus: in quarto denique Chryſolitus, Onyx, & Berillus, auro incluſi & circumdati. Cujus ornamenti ſignificationem vide apud *S. Hieron. in c.29. & 39. Exodi, & c.8. Levitici.* Item apud H
Salmeronem tom.7. tr.11. in Exodum.

Coronis, & vaſis ſacris.

Perantiqua autem & laudabilis conſuetudo jam olim fuit, Regum & Pontificum coronas & diademata gemmis pretioſis exornare; quod hodie quoque obtinet. Etiam veſtes & indumenta ſacra gemmis ornantur: & inſeruntur eædem hierothecis, & calcibus, aliiſque vaſis, quæ ſerviunt ad conſervandam, & populo adminiſtrandam, conficiendamve Sacram Euchariſtiam.

In vexillis.

Ioſeph. lib.3. Antiquit. refert, apud Hebræos olim uſu receptum fuiſſe, ut bella gerentes, vexillum ſacerdotale, in quo intextæ aut incluſæ erant duodecim gemmæ ſupra memoratæ, ſecum ferrent; ut ita velut illius majeſtate oculos hoſtium obfuſcarent, & ſemetipſos ad fortiter dimicandum animarent, *cap.42.*

In annulis.

Uſus gemmarum etiam in annulis cœpit à Romanis, & Lacedæmonibus, quorum hi initio ſaxi fragmentum ferro inclu-
A ſum gemmæ loco geſtavere, ut meminit *Alex. ab Alexand. lib.2. genial. dier. c.19.*

Mox effigies gemmis inciſæ & imagines, quòd primus Pyrgoteles uſurpaſſe perhibetur, & Alexandri vultum impreſſiſſe gemmæ, quam poſtea Auguſtus Imp. habuiſſe in pretio dicitur: ipſius etiam Auguſti effigiem Diſcores quidam ſculpſit; nihilque familiarius hoc ævo, quàm gentilitia inſignia gemmis impreſſa in annulis deferre, eiſque literas conſignare. *Vide Alex. ab Alex. ſupra.*

Poculis, vaſis.

Gemmas cavari ad pocula, vetus luxuria eſt. Meminit illius *Juven. Satyr.* 10.

— nulla aconita bibuntur
Fictilibus: Tunc illa time, cùm pocula ſumes
Gemmata.

Ferunt, Neronem Imper. in deliciis habuiſſe pocula & vaſa cryſtallina, iiſque fortè fortuna confractis ſummoperè doluiſſe. *F. Petrarcha dial.38.*

Poculis ebrioſorum deſerviviſſe olim Amethyſtum tradunt, ut liberiùs illis indulgerent, quòd is lapis ebrietati dicatur reſi-
B ſtere.

LOCUS GEMMARUM.

UBI SCILICET INVENIUNTUR.

Indorum regio, teſte *Curtio*, dives eſt non auro modò, ſed margaritis & aliis gemmis, ad luxum & magnificentiam.

Gemmiferi amnes ſunt Aceſinus & Ganges, terrarum autem omnium maximè India. *Plin. lib.37. c.ult.*

Margaritis abundat Taprobana inſula, & Toidis: item Perimula promontorium Indiæ. Præcipuè autem laudantur circa Arabiæ in Perſico ſinu maris rubei. In Britannia parvi & decolores naſcuntur. *Plin. lib.9. c.35.*

Adamas Æthiopicus & Arabicus laudatus. Smaragdus Scythicus, Bactrianus, Ægyptius, Cyprius. Opalus Indus. Sardonyche Inda. Carbunculus Indus, Gramanticus, Æthiopicus, Alabandicus. Sarda Sardibur primùm reperta, laudatiſſima Babylonia. Topazius Arabicus. Iaſpis Scytica, Cypria, Ægyptia. Amethyſtus Indica & Arabica. Hyacinthus &
C Chryſolitus Indicæ & Æthiopicæ. Aſteria Caramanica & Indica, Caraunias Caramanica. Iris Arabica. *Plin. lib.* 37. ubi gemmas factitias Phyſes appellari ſcribit, velut ipſius naturæ admirationem vindicantes.

In Arabico mari eſt Ophiades inſula, ab eventu rei appellata, vel quòd rex eam à ſerpentibus liberavit, vel quòd multi applicantes, à ſerpentibus interficerentur, & propter Topazium. Is eſt lapis pellucidus, ſplendore aureo refulgens, ut interdiu videri non poſſit, uſque adeò illuſtratur: noctu verò videtur ab iis, qui eum colligunt. Nam ſigno aliquo impoſito, de die effodiunt. Ægyptii reges maximam hominum multitudinem, mercede conductam, ad horum lapidum collectionem, cuſtodiamque collocaverant. *Strabo lib.16.* De eo ſic Diodorus: Invenitur in inſula ſinus Arabici Ophiade dicta, Topazius lapis, vitro ſimilis, colore aureo. Cujus acceſſus omnibus eſt interdictus, pœna mortis ad eam navigantibus ſtatuta. Pauci cuſtodes inſulæ præſunt, vitam miſeram ducentes. Ne quis enim eos lapides furto auferre poſſit, nulla penitùs in inſula navis relinquitur. Qui propè navigant, regis timore haudquaquam propinquant
D inſulæ. Nutrimentum deferentes, eveſtigiò abſcedunt, cibo relicto. Cæteri propinqui inſulam non adeunt. Deficiente cibo, ad litus ſedent omnes, vitæ ſubſidium expectantes. Hos qui deferunt, ut tardos ſæpè incuſant, velut in extremo vitæ poſiti. Hic lapis in petra naſcitur, die ob ſolis ſplendorem minimè apparens. Noctu in umbra lucet, procul oſtendens, quo ſit in loco. Cuſtodes ſorte diviſi, ad loca, ubi latent Topazii, accedunt. Quem ubi noctu ſplendentem lapidibus deſignant: eum poſtmodum die exciſum opificibus tradunt, qui ex eo Topazium eliciant. *Diod. lib.3. c.3.*

Cum Troglodytis commercium tantum tempore Plinii intercedebat gemmæ carbunculi, & Æthiopia vectæ. *Plin. l.5. cap.5.*

In ſinu Perſico, qui à rubro mari verſus Aquilonem eſt ſitus, uniones aluntur, à pectinibus quos Zambaces vocant. Horum pectinum quidam inventus eſt, intra ſe alens unionem ingentem, ac ſplendidiſſimum: qui cùm auctus menſuram uſitatam exceſſiſſet, radioſque ſplendore ſui fulgoris in morem ejacularetur: canis quidam marinus eum ſplendorem adamavit, & pulchritudinem perpetuò affectari cœpit: & quòcunque undæ pectinis concham ferebant, eò ca- E
nis quoque pernicioſi cujuſdam dæmonis impulſu bacchabatur. Id prodigium piſcator quidam animadvertens, ſtatuit pectinem machina quadam deprædari: verùm canis non conceſſit, ſed raptum pectinem, in profundum aquæ abduxit. Proindè regi Perſarum de pulchritudine margaritæ piſcator refert, iſque ei viros adjungit, qui in eo capiendo ipſi adſint. Cùm ad mare profecti, per aliquot dies præſtolati eſſent, contigit, ut canis aliquantiſper ſederet: tum piſcator ſtatim ſeſe in aquam injecit: & ad fundum delatus, pectinem cum unione arripuit, ſurſumque enatavit, extenſa manu qua unionem tenebat, quem & ſtatim ii qui aderant, ei eripuerunt: priuſquam verò in lembum piſcator evadere poſſet, ſupervenit canis, miſerumque devoravit. Unio ad regem allatus eſt: qui ejus ſpectaculo delectatus, piſcatoris filios magnis donis affecit. Eum unionem ut redimeret Juſtinianus Magnus, c. auri libras Barbaris miſit: verùm ii recuſarunt vendere, aſſervantes eum in ſignum Perſicæ ſtoliditatis. *Cedren.*

Æthiopia Zimiri dicta, regio arenoſa, Magnetem lapidem pretioſiſſimum producit, qui pari argento rependitur. Eadem F
in vicino monte Theamedem lapidem gignit, qui ferrum omne abigit reſpuitque. *Plin. lib.36. c.16.*

Cyprus inſula & Alabanda Aſiæ cryſtallum proferunt, teſte Solino. Quo argumento convincitur *Plin.* qui *lib. ult. nat. hiſt.* ex vehementi gelu cryſtallum concreſcere putat. Rectiùs *Diod. lib.2.* non vi frigoris, ſed cœleſtis caloris aquam puriſſimam congelari ſentit.

Gemmas maximèque margaritas ii habent populi, qui Cubagæ, & Cumanæ, & Terarequi inſulis (ſic enim eas appellant) in Septentrionem verſis, paulùm à media cœli converſione declinantibus ſunt proximi: ubi eas urinatores expiſcantur, tanta cum mari aſſuetudine, ut ſemihoræ interdum ſpacium conchis margaritarum conquirendis ſub aqua ſe contineant. Earum magna vis ab incolis regibus Hiſpanis tradita, nobilium fœminarum mundum facilè auxit. *Bemb. lib.6. hiſt.*

Sanctus Crater Genuæ in ſacrario templi maximi religioſiſſimè cuſtoditur: refertque immenſi pretii ſmaragdum hexagonam, eſcariæ patinæ modo cavatam. Partum id fuit antiquitùs ex Syriaca victoria, & ad publicum civitatis decus D. Laurentio conſecratum. *Iovius in Conſalvo.* G

In Aquilonaribus terris ſunt quidam amnes gemmiferi, quoniam conchas producunt: è quarum teſtis albicantes margaritæ, licèt pallidæ, propter aerem gelidum, extrahuntur. Aer enim iſte rori admixtus, circa medium menſis Auguſti in concham deſcendit, cauſamque præſtat, ut quantociùs margaritæ in eo contentæ matureſcant. *Olaus lib.22. c.21. Septent. gent.*

Quantùm apud Romanos Indicis margaritis pretium eſt, tantum apud Indos in curalio. Namque iſta perſuaſione gentium conſtat. Gignitur quidem & in Rubro mari, ſed nigrius: item in Perſico vocatur Jace, laudatiſſimum in Gallico ſinu circa Stoechadas inſulas, & in Siculo circa Heliam ac Drapanum. Naſcitur & apud Graviſcas, & ante Neapolim Campaniæ: maximèque rubens, ſed molle, & ideò viliſſimum Erythris. Ajunt, tactu protinùs lapideſcere, ſi vivat. Itaque occupari evellique retibus aut acri ferramento præcidi. Hac de cauſa curalium vocitatum interpretantur, ὡς κῦραν ἁλός. Auctoritas baccarum ejus non minùs Judæorum viris quoque pretioſa eſt, quàm fœminis Rom. uniones Indici. Aruſpices eorum vateſque imprimis religioſum id geſtamen H
amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudens. Priùs quàm hoc innoteſceret, Galli gladios, ſcuta, galeas, adornabant eo. Nunc tanta penuria eſt vendibili merce, ut perquàm raró cernatur in ſuo orbe. *Plin. lib.* 32. *cap.2.*

Oculus Catti ex Zeilana, laudatiſſimus: in Pegua, nonnulli; multò pluris apud Indos, quàm Luſitanos fit. Lineus pannus ita ad lapidem hunc compeſſus, ut gemmæ meditullium ſive oculum tangat, nullo igni uri poteſt. Saphyri genus utrumque, aqueum & obſcurum, invenitur in Calecutio, Cananore, & Biſnagua: præſtantiores ex Zeilana: laudatiſſimi ex Pegua adferuntur. Hyacinthus & Granatus naſcuntur in Calecutio, & Cananore. Granatos præbet Cambaja & Balaguara. *Ioan. Metellus.*

Generatio.

DEFINITIO ET ACCEPTIONES.

GEneratio apud *Ariſtotelem* ſumitur trifariàm: Fusè, ſtrictè, & medio modo. Fusè accipitur, ut comprehendit generationem tam ſubſtantialem, quàm accidentalem: Strictè pro ſola productione viventium: Medio modo, ut complectitur omnem & ſolam ſubſtantialem generationem. A Theologis dividitur in creatam & increatam.

Definitur autem in generali à Philoſophis eſſe mutatio à non eſſe ad eſſe. Quæ definitio locum non habet in generatione increata, & æterna, qualis eſt proceſſio illa in divinis, qua à patre filius tanquam verbum mentis: à patre & filio, inſtar amoris, producitur Spiritus ſanctus. Sed ſoli creatæ & phyſicæ, quæ mutationi ſubjacet, & per quam producitur quod priùs non fuit: *Cujus* etiam principia neceſſariò requiſita ſunt, materia, forma, & privatio.

Solet autem magis propriè intelligi Generatio pro generatione viventis: eaque iterùm ſumitur latè, pro productione viventis à quocunque; quomodo etiam generari dicuntur, quæ ex putrefactione oriuntur: ſtrictiùs, ſive medio modo, pro productione viventis ab alio vivente, ſervatis certis conditionibus: ſtrictiſſimè verò pro productione viventis ab alio vivente, non tamen quolibet, ſed per cognitionem operante; quomodo definitur eſſe proceſſio viventis à principio vitæ conjuncto, & per cognitionem & amorem operante, producente ex vi generationis ſibi ſimile; quæ definitio etiam convenit generationi æternæ, per quam ex vi intellectionis filius procedit, & habet quòd ſit imago Patris, eique ſimilis, quod ita Spiritui ſancto non convenit, qui per actum amoris producitur, ad quem proinde ratio imaginis non ſpectat, unde neque filius dici poteſt. Non enim ex vi generationis procedit, tanquam ſimile principio.

DE GENERATIONE PHYSICA HOMINUM.

Viri Qui Pepererunt.

CALLIPHANES ſupra Naſamonas credidit Machlyes habitare, androgynoſque eſſe, utriuſque videlicet naturæ, vicibuſque inter ſe coire. *Ariſtoteles* adjicit, dextram his mammam virilem eſſe, lævam muliebrem. *Sabel.lib.4. Enn.1.*

Prodit *Dion*, Pſyllos eſſe omnes viros: neque enim compertum eſſe Pſyllam fœminam: φύονται δ᾽, inquit, ἐξαλλήλων. Natos experiundi gratia ſerpentibus objectant. Hinc doctè admodùm & ſcitè pſylleos nuncupamus, qui pſyllos agunt, quodammodo obtrectatorum occurſantes veneno. *Cœlius lib.4. cap.23. Ant. Lect.*

Dorotheus Medicus in commentarios ſuos retulit, Alexandriæ in Ægypto Cynædum peperiſſe: fœtum conditum miraculi cauſa aſſervari. In Germania in exercitu Romano, quem T. Curtilius Mancias duxit, Servus militis peperit, Q. Voluſio Saturnino, & P.Corn. Scipione Coſſ. *Phlegon. Trallian. de mirabilibus & longævis.*

Apud Gymnoſophiſtas Indorum, quaſi per manus hujus opinionis auctoritas traditur, Budam principem dogmatis eorum è latere ſuo virginem generaſſe. *Cœlius lib.14. c.2. Ant. Lect.*

ÆTATE AD GIGNENDUM INEPTA QUI GENUERUNT, NIMIRUM VEL PUERI.

Glaterus, Antigoni regis frater, noviſſe ſe ſcribit quendam hominem, qui ſpatio ſeptennii & puer fuerit, & adoleſcens, & vir, & ſenex, & uxorem duxerit, & progenerata prole mortuus. *Phlegon. de mirabilib.*

HERCULES puer L. virgines, Theſpii vel Theſtii Athenienſis filias, una nocte gravidas reddidit: ex quibus L. geniti mares, communi nomine Theſpiadæ dicti ſunt. *Diod.lib.4.c.3.*

D.Hieron. hanc recenſet hiſtoriam: Audivi, inquit, Domino teſte, non mentior. Quædam Muliercula, quum infantem nutriret expoſitum, & ſtillaret cibos, ac nutricis fungeretur officio, cubaretque cum ea parvulus, qui uſque ad decimum annum jam pervenerat: accidit, ut plus quàm pudicitia patitur, ſe mero ingurgitaverit, accenſaque libidine, obſcænis motibus infantem ad libidinem duxerit. Prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps conſuetudinem fecit, necdum menſes duo erant evoluti, & ecce fœminæ intumuit uterus. *Cœlius lib.14.c.8. A. L.*

SENES.

☞ *Conſule Tit. Longævorum.*

ABRAHAM jam octogenarius, ex Agar ancilla Ægyptii generis filium genuit Iſmahelem: Unde Iſmahelitarum genus, qui demum Agareni dicti ſunt, ut Euſebio placet, ad poſtremum Saraceni.

Centum natus annos, ex Sara nonagenaria conjuge, quæ priùs fuerat ſterilis, Iſaac ſuſtulit. *Guido Bituricenſis.*

M. CATO Cenſorius, octogenarius, tam vivida ſenecta, ut ne conſenuiſſe quidem videretur, filium genuit, è filia Salonii clientis ſui. Qua de cauſa aliorum ejus liberorum propago Liciniani ſunt cognominati, hi Saloniani: ex quibus Uticenſis fuit. *Plin. lib.7.cap.14.*

Sexaginta regnavit annos Maſiniſſa rex, populi Romani amiciſſimus: Nonagenarius ſine ephippiis equum aſcendit, nudo capite pedibuſque iter fecit. Roboris ejus maximum hoc argumentum eſt, cum multi ei filii & naſcerentur & morerentur, quòd nunquam pauciores decem habuit, & puerum quadrimum nonagenarius reliquit. *Diod.lib.32. Val. lib. 4. c.14.* filium vocat Methymatum, *Suidas* verò Stembam. *Solin. cap.4. Plin.lib.1.c.14.*

SIGISMUNDUS Polcaſtrus Medicus & Philoſophus Patavinus, qui ſupra L. ann. docuit, in ſenectute quatuor filiis brevi tempore orbatus, ſeptuagenarius ad ſuſcitandam ſibi prolem, uxorem ſecundam duxit, ex qua ei tres filii nati ſunt: quorum primogenitum Antonium doctrinæ infulis utriuſque juris cenſura vidit de more ab ejus præceptoribus decorari. Hieronymum verò ipſamet philoſophica laurea cum ſummo gaudio tremulis præ ſenectute manibus exornavit, & obortis præ lætitia lacrymis, tenerrimè exoſculatus eſt. Poſt hæc autem non diu ſupervixit, annos natus nonaginta quatuor. *Bern. lib. 2. claſſe 9. hiſt. Pat.*

CONCEPTUS MULIERUM ADMIRABILES, QUÆ VEL VIRGINES, VEL ABSQUE VIRI CONGRESSU CONCEPERUNT verum exemplum unicum.

Virginis ſacroſanctæ Mariæ puerperium, propheticum carmen, Sybillinæ voces, Ethnica oracula, tam manifeſto prædixerunt eventu, ut in novo & incredibili penè myſterio, cujus ne humana quidem mens ſit capax, nihil ſit eorum, quæ fide continentur, cui libentiùs accedat humana pietas. *Sab. lib.1.c.1.*

Mendacia Exempla.

Scriptum reliquit *Homerus in Hymno in Apollinem*, Junonem ægrè ferentem, quòd Jupiter ſine ſe ex capite Minervam peperiſſet, cœlum ac terram precatam fuiſſe, omneſque deos ſuperos & inferos, ut poſſet & ipſa ſine maris congreſſu parere. Cùm ergo manu humum percuſſiſſet, natus eſt inde Typhon, qui Dracenæ educandus traditus eſt. *Natalis Comes Myſth.lib.6.c.22.*

Filia amnis Sangarii amygdali fructibus gravida facta in fabulis narratur.

Fabuloſum eſt, quod de Perictione Platonis matre circumferunt, Apollinis compreſſu gravidam, cum virgo eſſet, peperiſſe. Fabuloſum, inquam, hoc eſt, atque etiam impium. Nemo de virgine naſcitur verus homo, niſi qui vi divinitatis corpus in omnem animæ nutum obediens efficere poteſt. *Cœlius lib.14.c.1. A.L.*

Ex Rachele matre adhuc virgine ſe natum fuiſſe jactabat mendaciter Simon Magus, ut Deum ſe mentiretur. *Clemens lib.2. Recognit.*

Quæ attractione ſeminis forinſecùs.

Scribit *Averroes*, noviſſe ſe Fœminam in vicinia cohabitantem, probis moribus & fidei integræ, quæ jurejurando confirmaret, concepiſſe infantem ſemine ex balneo attracto, quod profudiſſet laſciviens Maſturbator. *Cœlius lib.4. cap.10. A.L.*

Quæ ſuperfœtarunt.

Præter mulierem, pauca animalia coitum novere gravida. Unum quidem omninò aut alterum ſuperfœtat. Erat in monumentis etiam medicorum, & quibus talia conſectari curæ fuit, uno abortu 12. puerperia egeſta. Sed ubi paululùm temporis inter duos conceptus interceſſit, uterque perfertur: ut in Hercule Alcmenæ F. & Iphiclo fratre ejus apparuit, & in ea,

quæ gemino partu, alterum marito ſimilem, alterum adultero genuit: item in Proconneſia ancilla, quæ ejuſdem diei coitu, alterum domino ſimilem, alterum procuratori ejus: & in alia, quæ unum juſto partu, quinque menſium alterum edidit: rurſus in alia, quæ ſeptem menſium edito puerperio, inſecutis menſibus geminos enixa eſt. *Plinius lib.7. cap.11.*

Quæ promptè conceperunt.

Theſtiades (aliis Theſpiades) ſorores L. ab Hercule una nocte compreſſæ, omnes conceperunt mares: maxima item & natu minima gemellos, ex quibus duo Thebis manſere, quorum progenies in honore fuit: ſeptem Theſpiis, quos Demuchos appellant. *Diod.lib.4.c.3. Herod.* autem ſeptem diebus, non una nocte, mulieres redditas ſcribit.

Cum Hercules Eleos viciſſet, & Angeam regem (qui pro repurgatis agris pretium negabat) impetrata facere coegiſſet, Eleorum fœminæ viduatam viris patriam videntes, vota Palladi nuncupaverunt, ſi gravidæ ad primos virorum congreſſus fierent. Voti compotes, templum Palladi exſtruxerunt: iſque locus, in quo primus congreſſus factus eſt, Badyn nomen obtinuit, atque etiam flumen vicinum. *Pauſ. lib. 5.*

Quæ ætate inhabili pepererunt. Vt puta vel PUELLÆ.

Magaſthenes auctor eſt, mulieres Palææ habitantes, ſex annos natas parere. *Plegon. de mirab. & longævis.*

VETULÆ.

SARA jam nonagenaria Abrahamo centeſimum annum agenti Iſaac peperit. *Gen.21.*

Intempeſtivus Eliſabethæ matris uterus, fauſtum Joannis Zachariæ filii, ſalutaremque terris deſpondit ortum. Nihil Deus non mirificè & utiliter operatur. Mulier, quæ dum per ætatem mater fieri potuit, ſterilis fuerat, jam grandis natu & decrepita, prægnans facta eſt. *Sabellicus lib.1.cap.1. ex Luca 1.cap.*

CORNELIA ex Scipionum gente (diverſa à Gracchorum matre) poſt ſexageſimum ſecundum annum, ex L. Voluſio Saturno, in præfectura urbis extincto, genuit Voluſium Saturninum, qui poſteà conſul fuit. *Plinius lib.7. cap.14. & Sabel. lib.3. Enn.6.*

Vidiſſe refert *Albertus* mulierem in Germania, cujus primogenitus ultimum quadraginta annis ſuperabat. Fieri poteſt, quandoquidem ad ſexageſimum uſque parere poſſit mulier. *Card. de rer. var. lib.8.c.43.*

Henrico IV. Imperatori Conſtantiam Cœleſtinus III. PP. è Cœnobio exemptam deſpondit, & dotis nomine Siciliæ & Neapolis regna, pro ea quam à Petro habuit poteſtate, tribuit. Illa jam quinquagenaria cum uterum præter ſpem ferre deprehenſa eſſet, ne quis fraudi aut ſuſpicioni locus relinqueretur, inſtante partus tempore, in urbe (Jeſi) foro medio tentorium erigi, & quotquot vellent, viros & mulieres ſpectatores eſſe permiſit. Peperit igitur Fridericum II. eumque Duciſſæ Spoletanæ alendum commiſit, anno ſalutis 1194. *Collenutius lib.4. hiſtoriæ Neapolitanæ. Cuſpinianus*, in tentoriis in pratis Panormi, multis utriuſque ſexus aſtantibus Fridericum peperiſſe ſcribit, nec multò poſt peperiſſe etiam filiam Mariam, quæ Contrado duci Boemiæ ac Marchioni Moraviæ nupſit.

Partus mulierum. Reſpectu modi. Quæ pepererunt ſine dolore.

Unicum exemplum eſt Mariæ virginis benedictæ, quæ cum ante, in, & poſt partum intemerata virgo, illæſis pudicitiæ clauſtris permanſerit, nemo ſanæ mentis eam in partu dolores perſenſiſſe dixerit. Potuit enim divinitas ipſa corpus per medias dimenſiones abſque labore traducere, quæ eidem ſuper aquas ambulanti pondus adimere potuit.

Cum dolore parvo.

HELNIA mater M. Tullii Cic. Non. Jan. abſque dolore peperiſſe fertur. *Plut. in Cicerone.*

MAGNO, MULTO.

Scriptum reliquit *Pauſan. in Bœoticis*, Junonem odio pellicis Alcmenæ commotam, cum ſciret inſtare tempus pariendi, mulieres veneficas immiſiſſe, quæ partum impedirent. Fertur, eo tempore Hiſtoris Tireſiæ filia (alii Galanthidem ancillam malunt) veneficas illas aſtutia eluſiſſe: nam è loco quodam, unde illæ facilè audire poſſent, exclamavit, Alcmenam peperiſſe. Ea voce illæ territæ abierunt. Alcmena illicò enixa eſt. Alii diverſam ab hac ratione tradiderunt. Cùm nonum menſem ageret Hercules in utero matris, & ſeptimum Euriſtheus Sthenelidi filius, fama eſt juraſſe Jovem, alterum horum alteri imperaturum: atque ad illum pertinere imperium, qui prior natus eodem die fuiſſet. Id cum ſenſiſſet Juno, ſeptimeſtrem Euriſtheum ex utero matris exire fecit, ac Herculi ortum in primum diem menſis x. uſque prorogavit, ut ait Theocritus in parvo Hercule. *Cœlius lib. 17. cap. 12. & Natalis Comes lib.7.c.1.*

STRATONICUS cum Timothei Athenienſium ducis clariſſimi uxoris dolorem partus audiviſſet: Si operarium, inquit, ac non deum peperiſſet, quales voces emiſiſſet? *Athenæus l.8. c.7.* Irriſit vir ſapientiſſimus hominum ſtultitiam, qui regibus ac potentioribus divinos adſcribunt honores: cum ex communi illa nativitate appareat, æquè homines eſſe, ut nos, qui infima ſorte vivimus. *Eraſmus in Apoph.*

Callæ Sueſſionenſi villa tribus hebdomadibus laborans mulier è partu, perſuaſa à vicinis, voto ſe obſtrinxit, quòd nudis pedibus ad ſanctam Mariam itura eſſet. Ergo ſtatim doloribus levata eſt. Primò autem peperit tres lapides, unum magnitudine ovi anſerini, alterum gallinacei, tertium nucis. Hos ſecutus eſt infans, qui baptiſmate tinctus, paucos vixit dies. *Chron. Anton. circa an.1070.*

ELFREDA, Alvuredi Anglorum regis filia, cuidam Ethelredo inter Mercios principi viro locata, cum pariendo vehementer laboraſſet, perpetuò in poſterum viri complexum abhorruit: dictitans, ſtultiſſimum eſſe, ejuſmodi voluptati indulgere, aut operam dare, quæ tantum doloris factura eſſet. *Polyd.lib.5.*

Læta è Petrarcho Florentino ſuſceptum Franc. Petrarcham poetam eximium, an.1304. XIII. Kal. Sept. Aretii tanto labore edidit, ut vel medicorum judicio deplorata videretur. *Hier. Squarzaficus in ejus vita.*

T E M P U S.

Quæ partum ediderunt.

Imperfectum. Abortivum.

Veteribus licebat ſervos occidere, pueros exponere; eaque propter licuit etiam tum Hipocrati ſive Polybo, petente id domina, abortum procurare: Chriſtianis non licet. De quo ☞ *Vide Tit. de Abortu.*

Euſebia Conſtantii Imp. uxor ſterilis, invidens Helenæ Juliani Apoſtatæ Conſtantini Magni F. fœcunditatem, veneno per fraudem dato effecit, ut quotieſcumque concepiſſet, immaturum fœtum ejiceret. *Marcellinus.*

Terræ motu vehementer concuſſis Venetiis ſub annum Chriſti 1342. per dies xv. omnes ferè gravidæ mulieres, quæ tum in urbe erant, abortum fecere. *Sabel.lib.8.Enn.9. & l.3. Decad.2.*

☞ *Huc refer ex Loco & Titulis de Abortu pleraque.*

---

* Genitalia.

GENITALIUM AFFECTUS.

☞ *Quære affectus partium corporis. Loco de Corpore.*

VIOLATIO VETITA.

LEge Cæſarea mortis ſupplicio punitur perindè ac homicida, qui genitalia violare, aut amputare fuerit aggreſſus. *Conſtit. 142. tit.42. L. 3. §. qui hominem, L. Cornelia, §. conſtitutum.*

Deus olim in lege ſcripta caverat, nè qua mulier apprehenderet virilia membra violentè; jubet namque, ut talis puniatur abſciſſione manus: quia horret lex, *ait Cajetanus*, ut membra viri quæ directè ad muliebrem ſexum perficiendum ſunt producta, mulier lædere aut violare audeat. *Deut. cap.25.*

Juvat hic adjungere hiſtoriam ſatis lepidam, quam ex *Luitprando Diacono Ticinenſi* narrat *Alciatus*, de Theobaldo Umbrorum Duce. Cum enim adversùs Græcos dimicaret, qui Beneventum tenebant, omnes, quotquot ex hoſtibus captivos habere poterat, amputatis virilibus dimittebat: donec mulier quædam Beneventana ad eum venit, & quòd fœminis bellum inferret exprobravit, tantumque apud eum facundi oris ſermone effecit, ut illi pœnæ modum poneret. *Lib.7. parerg. Iur.cap.23.*